Surgeon General's Office
LIBRARY.
Section, Folios C floor
No. 88803.

ANDREAE MAXIMINI

EXPLICATIO

TABULARUM ANATOMICARUM

BARTHOLOMAEI EUSTACHII

BARTHOLOMAEI
EUSTACHII

ANATOMICI SUMMI

ROMANAE ARCHETYPAE TABULAE ANATOMICAE

NOVIS EXPLICATIONIBUS ILLUSTRATAE

AB

ANDREA MAXIMINO

ROMANO

IN NOSOCOMIO B. M. CONSOLATIONIS CHIRURGO PRIMARIO, NEC NON PUBLICI AMPHYTHEATRI ANATOMICI PRÆSIDE.

SURGEON GEN'L'S OFFICE
88803.
LIBRARY.



Eques Petrus Leo Ghezzius Inv. del. et Sculp.

ROMÆ MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI

PROVISORIS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ

PRÆSIDUM PERMISSU.

EMO AC RMO PRINCIPI

D. D.

HYACINTHO GERDIL

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

ANDREAS MAXIMINUS F. P.

SI meas tantummodo lucubrationes opus hoc, EMINENTISSIME PRINCEPS, contineret, non equidem id Tibi offerre ausus essem: satis nanque conscius mihi sum, non tanti me valere, ut quocumque adhibito labore, rem Tuo gravissimo dignam obtutu possim proferre. At hominis doctissimi, summis nobilitate, aut doctrina, qui sua ætate floruere, viris acceptis-

ceptiſſimi, in philoſophicis, medicis, linguis Græca, Latina, atque Araba verſatiſſimi, omnique eruditione intimè exculti, Bartholomæi Euſtachii Tabulas Anatomicas, Tuo non indignas numine judicavi. Te enim litteratorum amantiſſimum, qui uſque ab adoleſcentia integras noctes ſtudiis impendere conſueviſti; Te inquam rerum humanarum, divinarumque ſapientiſſimum, qui noſtram ætatem ſcriptis illuſtras, & concelebras tuis, & quem, ſi quis eſt hodie, qui ornate, & copioſe, & apte ſuas cogitationes litteris mandare poſſit, eum Te eſſe merito arbitrantur omnes, pretioſum præclari hominis monumentum læta fronte excepturum fuiſſe confidi. Profecto Tua ſingularis pietas, humanitas, atque ingenua vitæ ratio ſapientiæ conjuncta, adeo Te Principibus, quibus cum aliquam habuiſti conſuetudinem, carum reddidere, ut ipſe PIUS SEXTUS *Pontifex ſumme Optimus, vere Maximus, Te in ſacrum S. R. E. Cardinalium Senatum adſcribi digniſſimum reputaverit. Ad tantæ dignitatis faſtigium tam egregiis, tuiſque propriis evectus virtutibus, haud dubium apud omnes eſt, quod ſi maximum a Sacra Purpura Tibi decus acceſſit, ac lumen, non minus id ſit, quod Tuo ingenio, conſilio, illuſtrique labore perpetuo ei reddis, ornamentum. Ea inſuper laus temperantiæ, quam in Veſpaſiano Auguſto ſummopere C. Plinius Secundus commendavit, quum ei dixe-*

dixerit ; Nec quicquam in Te mutavit fortunæ amplitudo in iis , niſi ut prodeſſe tantundem poſſes , ut velles , *nemini certe aptius , quam Tibi , congruit . Ab eadem enim ipſa verè , ſolidèque philoſophica vivendi ratione , quam ab ineunte ætate in inclyta S. Pauli Congregatione amplexus es , in tanta dignitatis amplitudine nequicquam recedere voluiſti . Hæc morum tuorum eximia ſuavitas in eam me ſpem adduxit , ut celebratiſſimas Euſtachii Tabulas ſub tuo patrocinio excipere non recuſares : ſic etiam , quod maxime optavi , ſummum mihi decus accedet , dum ſub Euſtachii umbra meas quoque lucubrationes fortunate tuis licet ſub auſpiciis emittere . Ita Te DEUS diu ſoſpitet , PRINCEPS EMINENTISSIME , ut eo acerrimo ſtudio , in quo Te contines , novis ſemper Sanctam Romanam Eccleſiam ornamentis , immortalem Tibi apud omnes gentes , poſteroſque gloriam parituris , cumules , atque locupletes .*

AN-

ANDREAS MAXIMINUS

ANATOMES STUDIOSIS.

INter cultiores artes, ſcientiaſque non infimum quidem locum obtinet Anatomia. Vetustissimorum Philoſophorum, Poetarumque libri, ipſæque Sacræ Paginæ de viſceribus, nervis, venis, oſſibus, aliiſque partibus humanam machinam conſtituentibus mentionem faciunt. Præter excellentiores philoſophos hanc ſcientiam ipſi quoque Reges aliquando excolere non ſunt dedignati: quod ſatis iis omnibus compertum erit, qui in litteris, hiſtoriiſque verſantur. Primum autem, magiſque neceſſarium artis Medicæ fundamentum eſt Anatomia: quare nulli ætati, nullique regioni excellentis ingenii homines defuere, qui haud ulli parcentes labori adeo utilis artis progreſſum totis ſuis viribus ad perfectionis faſtigium provehere contenderunt. Nonnulli ex his ingenioſiſſimis naturæ inveſtigatoribus, ut alios magis aperte docerent, atque ob oculos ponerent omne id, quod ipſi poſt multos ſudores in humani corporis fabrica detexerant, ſuis ſcriptis ſingularum partium delineationes, atque figuras addidere, quæ Tabularum Anatomicarum nomine circumferuntur.

Profecto plurimi licet ſint anatomiæ ſcriptores, qui in ſuis libris ſingulas, reconditioreſque humani corporis partes diligentiſſime de-

ſcripſerint; fatendum tamen eſt, quod tyro anatomicus, omne quamvis in iiſdem ſtudium adhibeat, ſeduloque animo volutet, quæ legit, ſine Tabularum auxilio parum proficiet. Quemadmodum enim libri de Geographia tractantes non multum utilitatis ſine regnorum, provinciarum, locorumque delineationibus afferunt; ſic pariter ſine Tabulis nunquam ſatis, quæ ad Anatomiam pertinent, ex ſolis libris percipi poſſunt.

Fateor quidem, cadaverum ſectionibus Anatomiam, & majori certe utilitate, quam Tabularum figuris noſci poſſe quam optime: ſed diuturnam, ſedulamque in plurimis cadaveribus exercitationem, manumque ſatis peritam id exigit; immo ne omnes quidem, poſt multos etiam, longosque labores, tanti ſunt, ut ſingula, quæ in exercitatiſſimorum Anatomicorum libris referuntur, cultro anatomico invenire, atque aliis ostendere valeant. Omnino in qualicunque arte, vel ſcientia aliquod eximium, perſpicuumque ingenium aliquando extitit, quod Coryphæi nomen promeruit. Demoſthenem, & Ciceronem præſtantiſſimos Oratores; Platonem, & Ariſtotelem principes ingenii, & doctrinæ; Homerum, & Virgilium clarissimos Poetas; Hippocratem, & Galenum medicorum lumina, alioſque paucos hujus generis egregios homines, qui artes ad bene, beateque vivendum neceſſarias, aut invenirent ipſi, aut inventas perpolirent, abſolverent, atque ad ſummum perducerent, non omnis genuit ætas; ſed aureis (ut ita dicam) tantummodo quibuſdam ſeculis natura protulit. Hujus profecto generis illi pauci ſunt, qui archetypas ſuarum anatomicarum ſectionum figuras diligenter, atque ſecundum veram naturam expoſitas tradidere: quamvis enim quamplurimi ſint auctores, qui ſcriptis ſuis anatomicis tabulas adjunxerint; plerique tamen vel ingenii tenuitate, vel labore perterriti, aliorum auctorum figuras mutuati ſunt, quas ut plurimum rudes, atque parum accurate delineatas in ſuos libros transtulerunt; vel ſuas proprias cadaverum ſectiones adeo negligenter, & præter naturæ ordinem delinearunt, ut partium figuras, viſcerum poſitiones, vaſorum, nervorumque diſtributiones a naturali ſummopere diſcrepantes exhibuerint.

Inter excellentiores, qui ſuas cadaverum anatomicas ſectiones ſecundum veram, propriamque ſingularum partium ſtructuram, ſitum

tum, figuram, numerum, ordinem, atque nexum in Tabulis accuratissime delinearint, communi omnium Anatomicorum ad hoc ævum usque suffragio, principem obtinet locum Bartholomæus Eustachius. Hujus asserti luculentissimum exemplum sit TAB. XV., & XVI., in quibus pulmonum, atque cordis cum suis auriculis, & vasis verus situs, & positio secundum naturam adeo accurate exponuntur, ut parem in figuris exprimendis diligentiam in nullis quidem auctoribus, nec in ipso opere, ceteroquin accuratissimo, nuper edito a celeberrimo scriptore DE MORBIS CORDIS, inspicere liceat. Hujusmodi plurima exempla circa reliqua viscera, nervos, vasa sanguifera, musculos, & ossa afferri possent, quæ apertissime demonstrant, quantum noster super alios omnes emineat Anatomicos.

Quum igitur artis Medicæ, atque Chirurgicæ cultoribus Anatomiæ studium necessarium omnino sit; idque jugiter eos repetere oporteat; cadavera autem in promptu, neque semper, neque quandocunque habere liceat; nec præterea quilibet tantà rei anatomicæ peritia instructus ad eorum sectiones accedet, quanta requiritur ad id omne prosequendum, quod post longos, improbosque labores clariores Anatomici in cadaveribus adnotarunt: hinc maximas habere gratias debemus iis summis viris, qui suas perquisitiones ad nostrum commodum, utilitatemque in Tabulis exculptas tradidere; quapropter nunquam satis laudandus Eustachius, qui præ ceteris, in hoc rerum genere, egregium, præstantissimumque opus, suæ singularis in re anatomica solertiæ, atque sagacitatis specimen, posterorum commodis reliquit.

Dolendum vero est, maximeque dolendum, quod harum Tabularum explicationes, *de Dissensionibus, & Controversiis Anatomicorum* inscriptæ, quas ipse auctor Eustachius complevisse monuerat, atque editurum esse promiserat in suis opusculis anno 1564. vulgatis, iniquo fato deperditæ, ad nos non pervenerint. Has quoque Tabulas duo fere sæcula post auctoris obitum virtuti sæpe inimica fortuna absconderat; & jamdiu earum desiderio frustra angebantur peritiores Anatomici; cum Clementis XI. P. M. reipublicæ litterariæ principis benemerentissimi sagacitate, & cura repertæ, atque in apricum positæ

ſunt. Suo Archiatro Joanni Mariæ Lanciſio, qui auctor eidem fuit, ut hæ tabulæ perquirerentur, munificentiſſimus Pontifex dono dedit, quo interpretationibus authographis Euſtachii, dudum fruſtra perquiſitis, ſuppleret. Verum Lanciſii tum ingraveſcens ætas, ejuſque plurima, maximaque negocia non tulerunt, ut completam nobis earum traderet interpretationem; neque evitare potuit, quin aliquando in indicandis partibus hallucinaretur. Hæc omnia poſt ſuam Tabularum editionem anni 1714. animadverterat Lanciſius; & jam aliam auctiorem, atque mendis expurgatam comparare decreverat clariſſimus vir; ſed morte præventus rem infectam reliquit. Hanc curam ſuſcipere poſtea tentavit Romanus Chirurgus Cajetanus Petrioli, qui quamvis ad hoc opus perficiendum icones Euſtachii ex ipſa Lanciſiana Bibliotheca, ad quam pertinebant, auctoritate, & ære Eminentiſſimi Card. Petri Caraffa depromptas, poſſideret, punctum tamen non attigit. Italico enim ſermone ſuas adnotationes edidit Petriolus, in quibus plurima in Lanciſii errores effudit; nihil autem fere in Tabularum elucidationem protulit. Pro ſummis ſuis meritis parum felix fuerat Euſtachius dum vixit; neque minus infelicem ſortem ejus præſtantiſſimæ Tabulæ ad hanc uſque diem experiebantur.

Ægre ferebat Anatomicorum reſpublica accuratioris harum Tabularum interpretationis negligentiam: anno tandem 1744. præclariſſimus Anatomicus Leidenſis Bernardus Sieigfried Albinus, ad tantam reparandam jacturam, labore incomparabili, maximiſque impenſis harum Tabularum, partim Romanas imitantium, partim abſque umbris, in quibus litteras, numeroſque appoſuit, novam delineationem, abſolutiſſimamque explicationem, Lanciſii errores animadvertendo, plura obſcura declarando, proque ſumma ſua peritia, longaque cum his Tabulis conſuetudine ne minimam quidem particulam prætereundo, in ſtudioſorum utilitatem fuit aggreſſus. Quantum temporis, ſudoris, & auri impendere tum debuerit rerum anatomicarum perſpicax indagator Albinus, ii ſolum, qui hoc ſuum magnum opus viderint, atque probe conſideraverint, noſcere poſſunt. Profecto tam arduum, ſummiſque difficultatibus refertum laborem nequaquam ſuſcepiſſet Albinus, ni operæ pretium ſe facturum putaſſet; adeo ut

audax

audax tam eximii Anatomici consilium de harum Tabularum præstantia luculentissimum præbeat argumentum.

Fere sub idem tempus alius quoque egregius Anatomicus Edimburgensis Georgius Martinius optimas lucubrationes in Eustachii Tabulas absolvit. Is quippe præter aliquot scholia, atque auctaria in Lancisianam interpretationem, eruditissimis quoque adnotationibus, criticoque commentario ostendit, quanta præ Omnibus Anatomicis Eustachii in dissecandis cadaveribus dexteritas, quantumque ingenii fuerit acumen. Nam in plerisque figuris animadvertit, jam pridem multa soli Eustachio innotuisse, quæ postea sparsim recentiores Anatomici, quos omnes singillatim recenset, se invenisse unus post alium gloriati sunt.

Etiam Parisiis Jac. Benignus Vvinsolwius suæ absolutissimæ Expositioni Anatomicæ quatuor Tabulas ab Eustachio desumptas addidit, quas commentariis illustravit. Ex clarissimorum virorum Morgagni, Fantoni, Mangeti, Sanctorini, Ridlei, Boerhaavii, Halleri, Monroi, aliorumque scriptis, quanti Eustachii Tabulæ apud artis anatomicæ principes habitæ semper sint, satis elucet. Et re quidem vera in omni orbis regione tam ardens fuit has Tabulas habendi studium, ut Genevæ anno 1717. eas (monstruosas tamen, & truncatas) cum Lancisii interpretatione edendas curaverit Jac: Mangetus. Amstelodami anno 1722. iterum tabulæ ipsæ, a Romanis valde absimiles, recusæ fuere: sed (quod non sine admiratione vidi) nuper etiam, & quidem, quod maximum est, post amplissimam Albini explicationem, anno scilicet 1769. eædem Mangeti truncatæ figuræ, cum nuda Lancisii interpretatione editæ sunt Venetiis a typographo Bartholomæo Locatello, qui in sua epistola ad lectorem hæc exponere verba non dubitavit: *Quantum hanc ad usque diem apud Bibliopolas perraræ, atque ad inveniendum difficiles, & magno quo in pretio Anatomicæ celeberrimi Bartholomæi Eustachii Tabulæ a clarissimis viris . . . . semper fuerint, nemo revera est, qui ignoret. Stimulis itaque eruditorum excitatus quamplurimis, tandem ipse mecum deliberavi &c.*

His igitur adductus rationibus has nostras Romanas Tabulas, quæ ab ipso Eustachio publico in hoc Romano Archilyceo Anatomes professo-

fessore incomparabili industria comparatæ fuerant, ab earum possessoribus meo proprio ære acquirere curavi, easque novis explicationibus illustrare suscepi, (quamquam fortasse plus suscepimus, quam sustinere possimus), in quibus potissimum quidquid a Lancisio, Morgagnio, Albino, Martinio, aliisque adnotatum meo scopo satisfacturum cognovi, non modo contuli, sed etiam, quoad fieri potuit, ipsis, eorundem clarissimorum virorum, qui me præiverunt, verbis uti, operæ pretium putavi;

In indicandis, explicandisque partibus eandem methodum, & rationem, quam ipse Eustachius in suis opusculis prosequutus fuit, pro viribus imitari conatus sum; ratus, idem acturum fuisse auctorem in suis Controversiis, si eas publici juris fecisset. Quum autem in nonnullis Tabulis, in iis præsertim, in quibus nervi, aut vasa exhibentur, adeo alicubi exiles, atque crebræ sint particulæ, quæ veniunt explicandæ, ut impossibile fere sit eas numeris indigitare; ideo in iis locis numeros evitare studui, & explicationibus res ostendere sategi; quandoquidem in ipsis Albini Tabulis linearibus sepe tam multiplices sunt litterarum, & numerorum ordines, ut interdum intelligi vix queant. Monere autem operæ pretium non esse arbitror, ut, si in quibusdam particulis indicandis numeri leviter aliquando aberrent, atque adamussim in punctum indicatum non incidant, id particularum exilitati sit tribuendum; nam in iis locis, in quibus id vitari non potuit, etiam a mediocriter in anatomicis versato, quid designetur, facile perspici posse censemus.

Animadvertendum, quod Eustachius varietates, quæ in nervorum, venarum, & arteriarum distributionibus, ac etiam in musculorum structura, inveniri solent, summo studio ac diligentia prosequutus fuit; ex quo fit, ut sæpe in una, eademque figura unius lateris aliquæ partes diversam exhibeant ab altero latere texturam. Ex his autem varietatibus eas, quæ notabiliores visæ sunt, adnotare non destiti; ne quis existimaret, quæcunque in his Tabulis auctor exhibuit, in omnibus eum talia semper existere voluisse. Non enim satis visum fuit diligentissimo huic Anatomico consuetum naturæ ordinem indicare; sed varietates quoque, quas in aliquibus partibus

ex

ex infinito ſere cadaverum, quæ indubitanter ad tantum opus perficiendum ſecare debuit, numero, aliquando offendit, ſedulo adnotare, ſuiſque adjicere Tabulis noluit prætermittere: quare multa, inter eas varietates, protulit, quæ porro ſunt rariſſima. Hujuſmodi exempla peti quidem poſſunt ex octo parvis Tabulis, in quibus, ipſo interprete, eas varietates paſſim oſtendit, accuratiſſimeque deſcribit.

Ex Lanciſii, Fantoni, Morgagni, atque Albini epiſtolis, quas hic adiiciendas curavi, tum quantum in re anatomica præſtiterit Euſtachius, tum finis, quem ſibi propoſuerat, tum demum harum Tabularum hiſtoria quam optime noſci poterit.

Quum autem non raro occurrat, ut figurarum ſeries alienum habeat ordinem, variæque multarum partium a juſta hominis ſtatura proportiones exhibeantur, non prætermiſi, ut, quæ ad hæc omnia explananda eruditiſſimus Martinius digeſſit, huic meo operi apponerentur. His omnibus accedit ejuſdem Georgii Martinii Prolegomena, ubi de Anatome ad medium Sæculi XVI. inſtaurata, deque Euſtachii Tabulis diſſeritur.

Satis denique mihi erit, tam eximium theſaurum ad uſum Anatomes amatorum, & cultorum ita accommodaſſe, ut quiſquis ipſum conſulturus, magis tuta, atque uberiori explicatione, quam Lanciſiana, uti queat: neque tam gravis operis ſummæ difficultates, ut præclariora torſerit ingenia, me deterrere potuerunt, quin a labore quærendi, & conſiderandi eos, qui ſuum ſtudium ad has præclariſſimas Tabulas contulerint, his meis explicationibus levare contenderem.

JO: MARIA LANCISIUS

LECTORI SALUTEM.

O*Mnigenam Eustachii eruditionem commendare hic supersedeo*, Humanissime lector, *sufficere ratus in memoriam Tibi revocare, illum ipsum Medicinam apud Urbini Ducem, ac postmodum apud Romanos Proceres, præsertim vero Amplissimos Cardinales divum* Carolum Borromæum, *& Julium Feltrium de Ruvere ad senectutem usque, summa cum nominis celebritate fecisse; magno item cum famæ splendore in Romano Lyceo Anatomen, dum Protomedicatus munere fungebatur, docuisse; scriptis denique luculentissimis suam, & futuram Medicorum ætatem, nec non Italiam omnem illustrasse. Quod autem ad eximiam variarum linguarum peritiam attinet, cum græci sermonis doctissimum satis prædicent latina interpretatio, & annotationes ad Erotianum, ab ipso jam editæ; de Arabica lingua eidem non cognita solum, sed maxime familiari, certe contenti erimus locupletissimo testimonio Celeberrimi Amati Lusitani illi æqualis, qui, cum Avicennæ opera, ut de arabico in latinum fidelius transferrentur, optaret, unum per universam Italiam Eustachium ad eam rem præ cæteris idoneum se nosse, confessus est.* Dabit tamen Deus, *inquit Amatus* (a) aliquem, qui nobis integrum Avicennam restituat, latiniorem faciat, ac politum emittat. At, ut verum fateamur, hoc hodie Germanis, utpote Viris Doctissimis, & linguarum peritissimis, debetur: si cui tamen Italorum opus hoc committi deberet, id merito committi posset hodie Bartholomæo Eustachio, Illustrissimi Urbinatis Ducis medico ingeniosissimo, ac doctissimo, & multarum linguarum peritissimo.

Deinde vero quæcumque ad egregii hujus Viri Anatomicas Tabulas, Auctoritate Sanctissimi Patris *inventas, pertinerent, earumque dignitatem, utilitatemque commendarent, superiore anno ad Doctissimum Anatomicum Taurinensem Joannem Fantonum perscripseram. Ea autem nosse cum tua plurimi intersit, ne actum agere videamur, illas ipsas datas ad Fantonum literas hic subiicere operæ pretium ducimus.*

 CLA-

(a) Cent. 1. curat. med. curat. 1. in Schol. pag. m. 3.

CLARISSIMO, ERUDITISSIMOQUE VIRO

D. JOANNI FANTONO

Med. atque Anatom. Profeſſ. Celeberrimo

JO: MARIA LANCISIUS S. P. D.

SEx, & quadraginta Tabulæ æreæ, quas Cel. Bartholomæus Euſtachius, per multos annos diligentiſſime in re Anatomica verſatus, incidi curaverat, & in epiſtola præfixa tum ſuis Opuſculis; tum Annotationibus ad Collectionem vocum Hippocratis ab Erotiano inſtitutam, vivus adhuc orbi literario pollicitus fuerat, adverſo fato ſeſquiſeculum delituerant; hanc indigne ferentibus jacturam doctis Viris, atque illas, ſicubi forte inveniri poſſent, aſſidua ſollicitudine quærentibus; eo quod ſtudiis, ac vigiliis tanti Scriptoris, ac tantopere in explorandis naturæ operibus commendati, plurimum utilitatis rebus Anatomicis allatum iri confiderent. Quamobrem doctiſſimus, mihique amicitia, cum viveret, conjunctiſſimus Dominicus Guglielminus, ſæpe a me per literas flagitavit, ut ad eas conquirendas omnem diligentiam adhiberem. Id autem cum diu nobis Romæ fruſtra ceſſiſſet; tandem divino quodam conſilio, & aſpirante *Sanctiſſimi Patris CLEMENTIS XI.* excelso animo, ac benignitate, præter ſpem in manus noſtras ſuperiore anno pervenerunt. Ego vero, qui Medicæ facultati juvandæ labores omnis ætatis qualeſcunque dicavi, publicæ illas ſtudioſorum eruditioni invidere minime debeo. Itaque cum Sanctissimus Pontifex inter alia plurima generoſa, atque egregia Apoſtolicæ ſuæ Beneficentiæ argumenta, nunquam interitura, æreas has Tabulas dono dederit Bibliothecæ, quam in maximo Noſocomio S. Spiritus communi omnium, ac Medicorum præſertim uſui, atque inſtitutioni deſtinavimus, ad Te, Præſtantiſſime Fantone, eo præſertim conſilio ſingularum impreſſa exemplaria mittenda conſtituimus, ut Theatrum Anatomicum, quod conſtituit Clariſſimus Mangetus, Tibi Amiciſſimus, mihique in primis obſervandus, nova etiam horum monumentorum acceſſione, ſi e re anatomica futurum cenſuerit, valeat locupletare. Quid? quod omnia ſimul, quæ modo apud nos potiſſimum deſiderantur, atque expetuntur, Euſtachii opera, tam amplo, præclaroque cum auctario iſtic, aut alibi, ſi collibuerit, recudi poſſent.

Quibus autem indiciis latentem hunc theſaurum deprehenderim, paucis accipe. Euſtachius Petrum Matthæum Pinum Urbinatem, abs ſe propriis ſtudiis, laboribuſque ſocium adhibitum fuiſſe, in epiſtola illa, quam iiſdem opuſculis præpoſuit, aperte commemorat. Pinus vero, cum per id temporis Annotationes eorundem opuſculorum præceptoris olim ſui edidiſſet, lectorem pariter admonuit, a ſe provinciam ſuſceptam, ut eidem operi renum figuræ adderentur; *quarum*, inquit, *Bartholomæo* (a) *diligentiam, ac ſumptum*; *mihi*, *ut accurate delinearentur*, *ac ſculperentur*, *laborem debes*. Quinimo idem Pinus ſex, & triginta annis ab interitu magiſtri ſui, maximum Artis Medicæ detrimentum deplorans, in locupletiſſimo, utiliſſimoque Indice, quem ad Hippocra-

(a) In Epiſt. Lectori adnexa libello Annotationum.

cratis opera, Eustachii consilio, jussuque adornaverat, promittit; (a) *se in lucem, Deo favente, daturum Tabulas Anatomicas, quas multis ab illinc annis ære incisas habebat.* Hanc igitur rerum seriem ad Sanctissimum Principem, literarum, artiumque instaurandarum, & augendarum studiosissimum, detuli. Pontifex vero, cum Pinum nobili gente Urbini natum probe sciret, confestim summa illa, qua maximopere valet mentis perspicacitate, conjecit, apud Familiam Rubeorum, itidem nobilem Urbinatem, optatas latere Tabulas, cum ex Pinis nullus virilis sobolis, sola vero muliebris stirpis Lavinia de Antaldis, quæ nupsit Francisco de Rubeis, hodie supersit. Neque BEATISSIMUM PATREM conjectura fefellit. Nam eodem mandante, in quibusdam studiosissimi Pini capsis inventæ sunt omnes. Quanta hinc animo meo voluptas incesserit, Tu satis intelligere, Fantone, potes, qui ejusmodi cognitionibus admodum delectaris, atque Eustachium in Anatomico Romano Theatro antecessorem olim meum ex ipsius scriptis, clare cognoveris.

Profecto tempus nunc mihi, atque opera minime in eo insumenda videtur, ut, quid Eustachius in Anatome præstiterit, Tu facultatis hujus præclarus cultor, perspicias. Certe tot, ac tanta sterili ævo primus ipse deprehendit, ut mirari soleam, nonnullos magnum sibi postea nomen peperisse ex una, vel altera duntaxat earum multarum observationum, quas simul omnes Eustachius solus posteritatem edocuit. Enimvero Eustachii labores quanti fecerit splendidum illum Anatomicorum lumen Malpighius, ipse ego præ aliis novi, qui non semel dictitantem audivi, *Eustachium, si non tantum cultro, sed etiam microscopio, & liquorum injectione (qua in solis renibus usus fuit) structuras cæterorum vasorum, ac viscerum fuisset rimatus, omnes procul dubio posteros a pertractanda Anatome fuisse deterriturum.* Adeo pro rudibus illis hac in arte temporibus eam exquisite, subtiliterque descripsit, ut fortasse sine tanto duce, tot postea Celeberrimi Viri, in humanarum partium fabricam inquirentes, eam, ad quam pervenerunt, rerum Anatomicarum gloriam minime assecuturi fuissent. Porro non in eo morabimur, ut ostendamus, quot, & quanta noster Auctor in solis renibus ab aliis vel non prius observata, vel non plane explicata demonstraverit. Satis profecto erit compendio dixisse, glandulas, seu renes succenturiatos ab ipso primum compertos; quinimo detectam communem in renibus vasorum membranam; denudatos tubulos in papillas intra pelvim desinentes, per quos lotium a sanguine, opitulante renum facultate, (nempe motu) & structura, quasi per colum stillatum exprimitur. Denique tentatum experimentum, fistulam in vasa primum emulgentia, deinde etiam in ureterem conjiciendi; qua ratione impulsus spiritus, vel aqua, retrorsum converso, potissimum ex ureteribus, papillis, ac tubulis itinere, ad externam usque renum tunicam ascendit, eamque mirabiliter, perinde atque in ambustis accidit, a subjecta carne separat. Unde luculenter edocemur, urinam secretam a superficie renum, (quam glandularem esse Malpighius noster centum post annos detexit) per tubulos, & caruncula mammillarum papillis similes in pelvim percolari. Merito propterea legimus (b) illustrem illum inter recentiores Anatomicos, & inter amicos meos amicissimum, Laurentium Bellinum subpuduisse, quod, ubi de structura, usuque renum egit, Bartholomæum Eustachium silentio prætermisisset: forte

 etiam

(a) In calce epist. pariter lectori, edit. Venet. anno 1597.
(b) In epist. ad lectorem Opusculi de Gust. organo.

etiam quod viderit apud Thomam Bartholinum (a) censuram per hæc verba sibi inustam: *Quid si Bellino præluxerit Eustachius?*

Illa quoque mirifice me afficiunt, quæ ab Eustachio cum in auribus, tum in thorace diligenter animadversa fuerunt: in iis enim nemo ante illum incidi æreis in tabulis curaverat officulum, stapedem dictum, & musculum movendis officulis necessarium. Nemo pariter tubas, seu meatus ab internis auribus in fauces prope cavitates narium suis cum janitoribus ostenderat. In thorace vero canalem lymphæ, chiloque in axillarem venam ducendis, non minus seculo antequam Pecquetus indicasset, patefecerat in equo. Ut autem eo magis eluceat inventio thoracici ductus in tanta temporum, rerumque Anatomicarum obscuritate, repete, si placet, memoria Eustachii observationem in libello de vena (b) sine pari a seipso per hæc verba descriptam: *Ad hanc naturæ*, inquit, *providentiam equorum venam alias pertinere credidi: quæ quum artificii, & admirationis plena sit, nec delectatione, ac fructu caret; quamvis minime sit ad thoracem alendum instituta; opere pretium est, ut exponatur. Itaque in illis animantibus, ab hoc ipso insigni trunco sinistro juguli, qua posterior sedes radicis venæ internæ jugularis spectat; magna quædam propago germinat, quæ, præter quam quod in ejus origine ostiolum semicirculare habet; est etiam alba, & aquei humoris plena; nec longe ab ortu in duas partes scinditur, paulo post rursus coeuntes in unam, quæ nullos ramos diffundens, juxta sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transverso, deorsum ad medium usque lumborum fertur: quo loco latior effecta, magnamque arteriam circumplexa, obscurissimum finem, mihique adhuc non bene perceptum obtinet.* Quid clarius de canali thoracico Pecquetus? Aut quæ apertior confessio ignorati adhuc in abdomine finis, vel principii?

Prætereo interim, quæ primus annotavit Celeberrimus hic Scriptor de Visorio (c) nervo in prægrandi animali; quod postea Malpighius Xyphiam, & Thynnum esse indicavit, illum nempe *veluti tenuissimum matronarum linteum in innumeras rugas æquales, & pari serie distributas complicari, tuniculaque ambiente cogi, qua incisa, postea facile evolvitur.* Quæ itidem in ostio venæ cavæ juxta auriculam deprehendit, non solum circa eandem majorem valvulam, quam tuberculum postea Lowerus dixit, quaque prohibetur, ne sanguis a jugulo refluens ad inferiorem cavam descendat; sed circa aliam longe exiliorem, & non minus validam, quæ orificio venæ coronariæ (d) imposita est, & cujus, quanquam posterioris ævi Anatomici Veslingius, Blancardus, & Verheyenus non meminerunt: nos tamen præclarum, ac summopere necessarium usum prodemus, Deo volente, in tractatu nostro de Motu Cordis: Verum sexcenta hujus generis Tibi occurrent in excursu sequentium Tabularum, quas in volumen compactas eo libentius ad Te mitto, quo majori fiducia spem futuræ gloriæ ab ipsa detectarum rerum veritate idem sibi, dum erat vivus promittebat Eustachius; quippe qui prope calcem epistolæ, quam Lectori Erotianæ collectionis præmittit, hæc habet: *illud velim scias, quasdam a me Tibi observationes, & inventiones anatomicas paratas esse; quas,*

(a) Anatom. Barth. cap.17. de Renibus.
(b) Antigr. 13. pag. 301.
(c) In ossium examine pag. 227.
(d) Ea de re verba fecit Eustachius in Opusc. de Vena sine pari Antigram. 11. pag.289.

quas, modo æquum, ut spero, Te mihi judicem præbere velis, legisse nunquam pœniteat. Illas equidem jam pridem ære incidendas mandavi, sed edere supersedeo; quia nonnullos iis, quæ de renibus, de musculis ossiculorum auditus, de dentibus, de vena azyga, & de capitis motu, anno proximo superiore publicavi, vehementer audivi commotos fuisse: ideoque operæ pretium me facturum esse arbitratus sum, si aliquandiu expectarem, donec ipsi ad suam sententiam tuendam, si quid volunt, rescribant: ne novas subinde appendices meis scriptis adjungerem. Interea eos, dum hæc parant, non oro solum, sed obtestor, ut quæ de memoratis ipsi partibus scripserunt cum his, quæ ego asserui, amice conferant: & si nostram reprehensionem injustam comperiant, tum vero objurgent, & conviciis me onerent, & qualibet pœna dignum putent: sin, ut spero, rem aliter se habere intelligant, publicæ, obsecro, utilitati consulant, animumque, veluti ingenuos, ac liberos homines decet, ad rationem, & veritatem revocent: &, priori sententia deposita, non erubescant fateri, per quos profecerint. Quamobrem dubitare amplius non poteris, mi Fantone, præclarissimos Anatomicos maximam lucem tum oculis, tum commentariis suis ab illustri hoc, & perspicacissimo Scriptore fuisse mutuatos; aut saltem facile cognosces, quam multa sint, quæ deinde a recentioribus, Vvirsungio nimirum in pancreate, Vvillisio in nervis, aliisque in partibus ab aliis comperta laudamus, vel nondum detecta turpiter adhuc ignoramus, ab uno olim Eustachio fuisse jam occupata. Quod sane multos ante annos divino quodam vaticinandi ardore prædixerat Joannes Riolanus, (a) qui omnium, qua Græcorum, qua Latinorum Anatomicorum severissimus censor, ubi de Bartholomæo Eustachio verba facit, grave hoc testimonium, & publicum illius præconium ad nos propagavit: *Bartholomæus Eustachius Medicus, & Anatomicus Romanus præstantissimus, cum infinitorum pene hominum, & eorum animalium, quæ in sua terra gignuntur, corporibus incidendis, multos jam annos versatus esset; Opuscula quædam Anatomica tam accurate, & erudite elaborata de Renibus, Dentibus, Ossibus, Aure interna, & Azygo publicavit, ut nobis dulce desiderium totius Anatomes sic explicatæ reliquerit; quam si perfecisset, labores Vesalii, & Fallopii longe suparasset, & aliis occasionem aliquid simle parturiendi præripuisset.* Judicium hoc Riolani de Bartholomæi Eustachii meritis, paucissimis verbis novissime confirmavit Joannes Munnikius in Epistola ad lectorem suæ Anatomiæ. Sed longe magnificentius ad tandiu desiderratas Tabulas extollendas de nostro Eustachio loquutus est Hermannus Boerhaave (b) in præfatione ad secundam editionem ejusmodi Opusculorum, cujus verba, ut non me piguit huc attexere, sic & Tibi jucundum erit legere: *Utinam nobili hoc exemplo excitarentur qui Tabulas possident Eustachii Anatomicas, quas se delineando totum humanum corpus exarasse, & edendo paratas habuisse fide dignissimus Auctor scripsit. Has profecto qui in lucem edet devinctissimos sibi habebit tanti viri Manes, simulque obstrictum Literatum Orbem. Postquam enim Auctoris in pingendo innotuit methodus, increvit incredibili argumento desiderium videndi opus, cui non aliud par extare, si ex ungue Leonem, crediderim.*

Eidem quoque summo viro multum, si quid in rebus Anatomico-Medicis ipse ego conari valeo, me debere profiteor. Etenim dissectiones cadaverum illorum, qui aliqua visce-

(a) Antropographiæ lib. 1. pap. 31.

(b) Lugd. Bat. apud Jo. Vander Linden 1707.

viſcerum affectione laborarunt, inter primordia ſtudiorum meorum, nimirum ab anno 1676. (quo tempore Medici Aſſidentis munere in memorato Noſocomio S. Spiritus in Saxia fungebar) arripui diligentius, nec unquam amplius dimiſi; propterea quod opportune legiſſem ingenuum hunc ſcriptorem cum jam conſenuiſſet, palinodiam per hæc verba quaſi canentem: (a) *Utinam ego dum junior ætate fui, & bona valetudine præditus, huic potius Anatomiæ parti ſtudium navaſſem; & tot annos, quot in illa conſumpſi, in iſta poſuiſſem; neque tam ſero ad agrum adeo fertilem excolendum aggreſſus eſſem; abſolviſſem, Deo adiuvante, niſi memet ſpes feſeliſſet, incæptum opus: & honeſti laboris a me ſuſcepti aliquem fructum, commendatione, & laude dignum, adeptus eſſem: quod exequi amplius nequeo, coactus tum ob ingraveſcentem jam ætatem, tum propter continuos, ingenteſque articulorum cruciatus ab incæpto deſiſtere, animumque penitus deſpondere. Quam equidem jacturam multo moleſtius fero, quam alia damna, ac incommoda, quæ multa, & ſumma aliquot ab hinc annis accepi, & paſſus ſum.*

Quem ſane locum aptiſſime exſcripsit præſtantiſſimus in Anatome, atque in omni Re Medica, & Chirurgica Vir Marcus (b) Aurelius Severinus. Is enim in epiſtola ad Petrum Mactam Medicum Romanum, Euſtachii noſtri tanta cum laude meminit, ut aſſerere non dubitaverit ſe compertum habere *ab hoc primum homine fluxiſſe morem in Urbis Noſocomia diſſecandorum Cadaverum morbidorum.*

Excipe igitur (Doctiſſime Fantone) munuſculum, quod primum Sanctissimo Patri debemus; deinde etiam humaniſſimo Viro D. Paulo Andreæ de Rubeis Metropolitanæ Urbini Eccleſiæ Canonico, qui unus ex Pinorum hæredibus, illud Summo Pontifici demiſſiſſime obtulit, a quo tantum decus Bibliotheca noſtra mutuata eſt. Hoc autem eo magis Tibi non ingratum fore confidimus, quod tuæ in nos benevolentiæ teſtimonia habeamus locupletiſſima. Vale.

Datum Romæ Kal. Februarii MDCCXIII.

Hæc ſunt tum Euſtachii, tum Tabularum ejus merita, de quibus, Erudite Lector, admonere te in animum induxi; nunc vero cum Tabulis eas accipe notas, quas ego, ut plurimorum deſiderio ſatisfacerem, inter varias, nec porro exigui momenti occupationes conſcripſi. Et quoniam, ne frequens locorum obſcuritas me in errorem duceret, ſæpe, maximeque ſum veritus, idcirco in laboris honeſti ſocietatem vocavi D. Antonium Pacchionum Medicum Romanum, & in rebus potiſſimum anatomicis apprime verſatum, quo cum ſingulas Tabulas iterum ad examen revocare non detrectavi; atque ubi vel minimus ſcrupulus (quod interdum accidit) nobis injectus eſt, ſtatim imaginem cum archetypo, nempe iconem cum diſſecto cadaveris membro contulimus, & comparavimus: in partem quoque diligentiæ, curæque accito Franciſco Soldato Juvene quidem Medicis ſtudiis, cadaverumque ſectionibus magnopere exercito. Neque vero, cum opportunum cenſuimus, per epiſtolas quoque in conſilio admittere prætermiſimus eximios Viros Joannem Fantonum (c) *& Joannem Baptiſtam Morgagnum noſtræ ætatis in Italia experientiſſimos Anatomicos. Hinc confidimus fore, ut non pauca, pulchra ſimul, & nova, ex abſcondito, & intacto*

(a) De Renibus cap. 45.
(b) In Epiſtol. M. SS. quæ inter alias aſſervatur in publica noſtra Bibliotheca.
(c) Legantur utriuſque Viri Epiſtolæ, quas ſubnectimus.

intacto huc usque Eustachiano hoc thesauro in lucem proferantur . Et quamquam ipse in edendo hoc opere sim hæsitantior , ne scilicet multa inchoata solum , ac rudia ; immo forte perperam ex Commentariolis meis excidisse quis opinetur , illum tamen velim præsentibus frui , & meliora inposterum præstolari : nam non obscura spes nobis affulget , fore , ut inveniantur notationes , quas procul dubio idemmet Eustachius exaravit , si nimirum Beneficentissimus Pontifex *quam in eruendis Tabulis jussit , in perquirendis etiam Auctoris scriptis jubeat diligentiam adhiberi : ita enim opus cunctis numeris absolutum , perfectumque constabit , atque in omnem posteritatem duraturum . Vale .*

ILLUSTRISSIMO , AMPLISSIMOQUE VIRO

JO: MARIÆ LANCISIO

Archiatro , & ab Intimo Cubiculo SS. PONTIFICIS .

JOANNES FANTONUS S. P. D.

SI ego unquam , Vir Amplissime , Librum Anatomicum accepi , & perlustravi libentissime , hic sane est , quem tua humanitate ad me missum nunc præ manibus habeo . Magna semper de Eustachii Operibus existimatio mea fuit : sed vicit omnino expectationem meam hoc Tabularum Anatomicarum Volumen elegantissimum : quas quidem Tabulas nemo , ut opinor , inspiciet , quin tanti Viri ingenium , peritiam , diligentiamque admiretur : Novum aliquid prodiisse in lucem , vel passim prodire Recentiorum industria , & labore mirum non est , cum a sæculo , & quod excurrit , tot insignium Virorum opera in Anatomicum studium conversa sit , tantaque accesserit Instrumentorum supellex , quæ in perscrutanda Hominis , & Animalium fabrica maximo adjumento fuerunt . Sed unum tam rudi , incultaque ætate Eustachium ignota coævis , & a multis simul posteris vix adhuc animadversa , detexisse primum incredibili solertia , atque incidi eximia sedulitate curavisse , tam magnum est , & admirabile , ut nihil majus esse , & spectabilius videatur . Præ cæteris mirifice placuerunt Cerebri , Nervorumque Icones , in quibus Vvillisium , atque Ridleyum Eustachius antevertit . Utinam Scriptorum Rei Anatomicæ rigidissimus Censor Riolanus revivisceret ! Quanta , mehercle , viri lætitia foret ! Qua voce , quo plausu Thesaurum hunc exciperet ! Quas Tibi grates pro tanto munere rependeret ! Amici mei , rerumque Anatomicarum Studiosissimi Viri , quibus inventum tuum brevi promulgandum significavi , gratulantur omnes , cuique majores habere gratias debeant , vix sciunt . Promiscue ab iis Eustachium commendari , atque Lancisium intelligo . Aureum sane , non æreum moriens Eustachius monumentum reliquit : sed perpetim fortasse latuisset , ni e tenebris eruisses . Fulgentem spectare Planetam , posteaquam fuerit diutissime occultatus , lætari omnino consuevimus : atque aura , quæ nubes aliquando discussit , ita nos recreat , ut lumine ipso clarior fere videatur . Me vero hallucinari non parum in hoc comparationis lusu animadverto . Nihil auræ beneficio adjicitur Soli : Tu lumini lumen impertis . Nemo etenim , ut ajebam , Eusta-

Eustachianas Tabulas sine admiratione inspexerit ; sed si nullæ prodiissent, vix peritiores ex earum aspectu, præsentiaque proficere potuissent . Tua interpretando , easdemque explicando solertia , tuusque incredibilis labor iis maxime probabitur, qui rejectis luculentis , quibus Tabulas exornasti , Annotationibus , curam describendi , explicandique singula in se recipere pro tentamine voluerint .

Quid modo dicam , Vir Amplissime , de PONTIFICIS MAXIMI benignitate ? quid de excelso animo , deque singulari SANCTITATIS SUÆ studio in locupletanda , ornandaque Bibliotheca , quæ tuæ virtutis , munificentiæ , doctrinæque æternum erit monumentum ? Tantæ specimen beneficentiæ , tum cætera omnia , quæ SVMMVS PRINCEPS in commune Literariæ Reipublicæ commodum piissime , præclarissimeque gessit , amplissima forent oratione enarranda . Hoc autem tuæ dignitati , tuo amori , tuæ gratitudini , tuæque eloquentiæ munus fortunatissimum relinquo . Quod ad me pertinet , illud est præcipuum, ut Tibi gratas habeam de eximio munere , quod mihi profecto longe majori in pretio est , quam ea fuerunt auro , & gemmis fulgentia munera, quæ superioribus a Te annis accepi , Vale .

Augustæ Taurinorum Kal. Junii MDCCXIII.

AD ILLUSTRISSIMUM , ET CELEBERRIMUM VIRUM

D. JO: MARIAM LANCISIUM

Intimum Cubicularium , & Archiatrum Pontificium .

JO: BAPTISTÆ MORGAGNI

EPISTOLA.

VEl triginta octo Tabularum conspectu , quas ab Eustachio olim promissas , nunc vero post multorum irritas perquisitiones , CLEMENTIS XI. Pontif. Max. Beneficio a tua solertia demum repertas , ad me (quæ tua est humanitas) mittis , vel quod eas tuis auctas , ornatasque Annotationibus exituras esse , scribis , in Bibliothecæ, quam selectissimorum voluminum copia in publicum commodum instruxisti , imminente sub proximas Kalendas dedicatione , magno me , Doctissime Lancisi , gaudio , & incredibili quadam voluptate perfundis . Quod autem addis , cupere Te vehementer , ut quæ in his Tabulis propria Eustachii , & peculiaria (sint licet ab aliis post ipsum prodita) extare cognovero , de his omnibus Te diligenter , nullaque interposita mora certiorem faciam , utrum difficilius sit negare , an efficere , multum dubito . Nam & negare ei , quem plurimum colam , cuique me obstrictissimum esse confitear , ea præsertim cupienti , quæ sicuti , ad Historiæ Anatomes ex hisce Tabulis illustrationem , ita ad beneficii celebrationem pertineant , per se collati in publicum ab eo Principe , cujus non modo geminæ amplissimæque potestati , sed & summæ erga me , meosque omnes beneficentiæ longe plus debeam , quam hominem homini debere fas sit , durum id mihi , &

quod

quod nequaquam possim, videtur: & id suscipere in his temporis angustiis, atque in his tot, & domi urgentibus, & in publico impendentibus occupationibus, quod intra justum tempus, & otio affluens pro dignitate præstare non possem, & præterea quæ hujus, aut illius Anatomici inventa creduntur, ea ad Eustachium referre aggredi, hoc vero perdifficile esse sentio, eique maxime, qui cum non possit prodesse omnibus, neminem saltem velit offendere, quique, ut jamdiu nosti, haud mediocriter vereatur.

Laudes Egregii Principis, & tuas
Culpa deterere ingenii

Quoniam tamen sapienti cuique homini pulchrum potius, atque optandum videri debet, eadem quæ Eustachius, sublata omni plagii suspicione, observasse, ac cum tanto Anatomico divisam inventionis gloriam habere; & quoniam vestrum, Lancisi Ornatissime, beneficium, si, qui digne possunt, his solis celebrare liceat, timendum est, ne, quod ab omnibus laudandum esset, id nullum habeat laudatorem; idcirco statim, ut jubes, morem gero, non omnia, quæ alias possem, sed præcipua eorum, quæ hasce Tabulas inspicienti in mentem nunc veniunt, ad Te scribens, nullam aliam habitura gratiam, nisi celeritatis.

Sed antequam incipio, quo tempore, & in quem potissimum finem hæ fuerint Tabulæ æri incisæ, constituere necesse est. Hæc enim duo non modo ad easdem intelligendas, verum etiam ad ea, quæ in ipsis peculiaria Eustachii sunt (sicut Tu cupis) dignoscenda plurimum adjuvant. Igitur quicumque sunt in ejus Opusculorum lectione versati, ii certe non ignorant, id sibi Eustachium in omni sive hominum, sive brutorum dissectione præ cæteris proposuisse, ut ostenderet, magis in Galeni Accusatores, quam in Galenum ipsum reprehensionem cadere, eo maxime tempore pervulgatam, quod non hominis, sed brutorum anatomicam descriptionem tradidisset. Nimirum tunc omnium manibus terebantur Andreæ Vesalii de humani Corporis fabrica libri, accusationem illam tertio quoque verbo non sine acrimonia ingeminantes; & in iis propositæ & descriptiones, & Tabulæ, ut eleganter traditæ, & affabre delineatæ, sic passim diligenter quoque, & fideliter ad humani corporis normam exactæ judicabantur. Etsi vero post annos circiter viginti, ex quo Vesalii Tabulæ prodire cœperunt, extitit Romæ Realdus Columbus, qui nonnullos in eo ipso, quod memoravimus, genere, Vesalii errores in suis libris de Re Anatomica reprehendit, & paulo post Gabriel Falloppius, Gymnasii hujus nostri decus, & lumen, edito aureolo Observationum Anatomicarum libello, multo plura Vesalii errata deprehendit; ab neutro tamen eorum ullæ Tabulæ editæ sunt, quæ pro fallacibus illius Tabulis sufficerentur. Quæ cum ita sint, quæcumque in Vesalii Tabulis, aut desiderata, aut perperam efficta, in his Eustachii Tabulis addita, & emendata inveniemus, primæ horum omnium delineationis honorem esse ad Eustachium referendum, neminem puto negaturum, ut qui duobus post Falloppium annis, atque adeo ante novas cujusque Tabulas testatus est in Opusculorum Anatomicorum Præfatione has suas editioni paratas habere.

An vero, ut delineationis, sic quoque inventionis eorum omnium primam liceat Eustachio gloriam adjudicare, diligentius est inquirendum. Non enim propterea quia

duobus, ut dictum est, post Falloppium annis testatus sit, se suas Tabulas absolvisse, continuo credendum est, non absolvisse mnlto antea, & illas, & Anatomica scripta, sive edita, sive adhuc desiderata. Nam, quo anno Falloppius Observationes edidit, eodem Pinus ad librum de Renibus Annotationes colligebat, & scripsisse Eustachium *non modo de Renibus, verum etiam de cæteris aliis humani Corporis partibus* asserebat, ut in ejus ad Lectorem Epistola, & initio statim Annotationum habemus. Præterea examen Ossium, eique adnexum de Motu Capitis Opusculum, eo tempore fuisse perscripta, quo nec dum Falloppii Observationes videre Eustachius potuisset, ex adscripto die facile colligitur. Sed quoniam Epistolam de Auditus Organis post Falloppii Observationes scriptam esse, non modo ex adscripto item die, verum quoque ex non uno ejus loco, de stapede videlicet, ac de Cochlea, satis constat; in Libello autem de Dentibus (ut modo cap. 32. de Renibus prætermittam) attestante etiam Pino in Annotationibus, Falloppii sententiæ nec semel, nec obscure impugnantur, & præterea Falloppius in Præfatione ad Observationes, has ante annos quatuor, a se scriptas ad Petrum Mannam, testatur; his de causis unice ad annum, quo Tabulæ sunt æri incisæ, inquirendum veniamus; Nam & de his potissimum quærimus, & si constabit, has ante scriptas a Falloppio Observationes fuisse paratas, plerorumque etiam quæ & scriptis, & Tabulis communia sunt, inventorum gloria Eustachio asseretur.

Itaque mitto quod in Præfatione ad Opuscula hic affirmat, *sex & quadraginta Tabulas æreas multo prius* se editurum fuisse, nisi ab ætate, & valetudine, & fortunarum imbecillitate fuisset prohibitus. Mitto etiam quod in Præfatione ad suas in Erotianum Annotationes, &ad libellum de Multitudine scribit, se suas *observationes, & inventiones anatomicas jam pridem ære incidendas mandavisse*; edere autem supersedere, quia nonnullos (ideſt Vesalium, ut liquet ex iis, quæ sequuntur) Opusculis *a se anno proximo superiore publicatis* vehementer audiverit commotos fuisse, ideoque se aliquandiu expectare, donec ipsi, si quid velint, rescribant, ne novas subinde appendices suis scriptis adjungat. Neque locum afferam ex Epistola de Auditus Organis, ubi de Stapedis inventore disserens, se, inquit, neque edoctum, neque monumentum ab aliquo, *multo antequam ipsi scribant*, id officulum novisse, Romæque non paucis ostendisse, *atque in æs incidendum curasse*. Qui autem id scripserat, ex collatis utriusque locis apparet, Falloppium fuisse in Observationibus, ubi negat, anno 1548. fuisse Romæ quemquam, qui Stapedis notitiam haberet. Igitur *multo ante* hunc annum altera saltem Tabularum, in quibus hoc officulum ostenditur, fuisse videtur incisa. Locum potius afferam, in quo & de Tabulis nuper inventis, & de his quidem universim Eustachius ita loquatur ut annum simul quem quærimus, diserte prodat. Is quantum modo memini, unicus extat, in Libro de Renibus cap. 16. *Hujusmodi*, inquit, *dispensatio, unioque venarum* (nempe venæ sine pari cum emulgente altera, aut cum proxima aliqua vena) *qua ratione, quotve modis a me sit observata, Tabulæ huic tractationi nexæ* (ideſt octo, quas tunc edidit) *apertissime ostendunt; & nisi fallor, non secus eas inspicienti ante oculos ponent, ac si dissectioni nostræ interesset: in qua harum venarum ccnsensum ita consuevi ostendere: quippe qui multis ante annis perspectus mihi sit, & cognitus, quemadmodum nostræ Anatomicæ Tabulæ* (ideſt hæ quæ sunt nunc inventæ, & in his XXVI. & XXVII. nam si easdem illas, de quibus modo dixerat, innuisset, non nostræ

nostræ Anatomicæ, sed eædem Tabulæ dixisset; hæ igitur) *anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ære incisæ patefaciunt: ut dicere audeam, non minus memet mihi in ea, quam præsentibus, spectantibusque omnibus satisfacere.* Esse autem has nuper inventas Tabulas multo ante illas octo æri incisas, petito ex XIII. Tabula argumento infra confirmabo. Si ergo anno 1552. hæ Tabulæ fuerunt incisæ, prima laus Eustachio deferri potest non tantum delineationis, sed & inventionis eorum omnium, quæ in Vesalii supplementum, vel emendationem, ut in his Tabulis, ita in Falloppii Observationibus, immo & in Columbi libris, ad eundem modum occurrunt; ut quæ opera aliquot annos post illas Tabulas perfecta sunt, illæ quidem annis post quinque, hi vero ut minimum tribus, ut ex Columbi ad Paulum IV. Pont. Max. Epistola colligo.

Quod si aliquis ex Falloppii Præfatione argumentum capiat, nonnulla ejusdem inventa, ut ad quamplurimos, sic & ad Eustachium potuisse multo antè illius Observationum editionem permanare; ego quoque ex Eustachii Opusculo de vena sine pari Antigramm. XI. argumentum vicissim capiam, nonnulla hujus inventa perferri ad Falloppium potuisse, per eorum videlicet sermones, aut scripta, quibus, ut Eustachius inquit: *studium erat aliorum inventa pro suis edere . . . . . exploratoribus* (apud hunc) *etiam stipendio conductis*: ad quem locum recte intelligendum haud scio, an juvet illud Antigramma conferre cum his, quæ in Falloppii Observationibus, & in harum examine a Vesalio edito, occasione Venæ sine pari narrantur; illud quidem scio, hunc Vesalii locum Fabricio ab Aquapendente e memoria excidisse, cum in Opusculo de Venarum Ostiolis *mirari se*, scripsit, *quomodo hæc ad suam usque ætatem tam priscos, quam recentiores Anatomicos adeo latuissent, ut non solum nulla prorsus mentio de ipsis facta esset, sed neque aliquis prius hæc vidisset, quam A. D.* 1574. Sed hæc obiter. Ad Eustachium nostrum redeamus: cujus, ut vides, Lancisi Ornatissime, ego gloriæ plurimum faveo; ita tamen faveo, ut multa pro Falloppio nostro reponi posse, non diffitear; primum quod cum nemo negare possit, ejus Observationes anno 1561. prodiisse, num Eustachii Tabulis ante hoc tempus summa imposita fuerit manus, illi ipsi possunt in dubitationem vocare, quibus mecum illi credere placeat A. 1552. easdem incisas fuisse, deinde quod ex Epistola Eustachii de Auditus Organis proclive sit conjicere quod ab eo de Cochlea, & de canalibus semicircularibus in II. Figura XLV. Tabulæ pictum est, id post lectas Falloppii Observationes eidem Tabulæ, qua locus vacabat, adjectum esse. Verum cætera mittamus, & tandem aliquando ad has Tabulas inspiciendas veniamus.

Quarum tres priores quoniam si quid habent, in quo moremur, id infra opportunius commemorabimus, idcirco has interim seponentes, ad XII. statim pergamus. In qua, cæteris figuris prætermissis, iisque præsertim (ut semper) quæ in octo Tabulis vulgatis occurrunt, III. potissimum, atque VII. contemplemur. Igitur in III. & vesiculas seminales, & deferentium vasorum cum iisdem conjunctionem, & duos seminis in capite, ut vocant, gallinaceo meatus, omnia perspicue quidem, atque eleganter picta conspicimus, quæ sane frustra in Vesalii Tabulis perquiruntur, ut qui has vesiculas primum vidit in Falloppii observationibus descriptas. Cæterum ad vesicularum sedem ostendendam ab anteriore quidem parte undecimam XI. Tabulæ Figuram, a postica autem VII. hujus Tabulæ Eustachius instituit. In qua præterea figura

 eas

eas veficæ fibras monftrare voluit , quas cap. 19. de Renibus *confpicuas*, *craffas* , *ac fere carneas*, dixit, quæque adeo variæ quoquoverfum diftribuuntur, ut intuentibus multarum tunicarum fpeciem habere videantur . Sed & in Tabulæ X. Figura I. exteriore pariter fublata ventriculi tunica, ita ejus circulares fibras oftenderat, ut Willifii induftriam in Tabula III. ventriculi concinnanda præverterit.

In Tabula vero proxima XIII. illud primum diffimulare non poffum , vafis nrinarii intra renem dexterum ramificationem tum dimenfionibus , tum figura non ita ad verum accedere , ut quæ in pervulgata Tab. V. delineatur : ex quo nimirum in ea opinione confirmor , longe prius has Tabulas effe incifas , quam octo vulgatas : quarum si ejufdem V. Tabulæ Fig. I. idem oftendi credis, quod XI. Tabulæ Fig. X., hanc quoque multo rudiorem, atque adeo priorem effe , confiteberis . Cæterum & his ramificationibus , five , ut alii vocant, pelvis tubulis , & renum canaliculis, & horum in papillas iis tubulis exceptas unione fuiffe ab Euftachio & Bellinum, & Malpighium occupatos , non eft opus hic memorare . Illud potius addam : hæc eadem, quæ Euftachius, Falloppium quoque in Obfervationibus attigiffe . Clitoridem vero , & ejus crura , atque mufculos , quæ fimiliter Falloppius in eodem libro defcripfit , primum certe delineata , & in hac XIII. Tabula , & in fequenti confpicimus . Sed quod ad ligamenta uteri rotunda attinet , quæ Vefalius mufculos , Falloppius autem proceffus nerveos effe docuerunt; Nofter in hac Tabula non modo ab utroque diffidet, fed Swamerdamii nihil fere aliud, nifi minutiffimas arteriolas, & venulas illa effe tradentis, & Figuram, & explicationem prævenit, addens præterea ex cruralibus nonnullos ramufculos, ut & in fequentis Tabulæ Figura I., ad quam priufquam tranfeam , in hac XIII. illud denique obfervandum judico , vel fpermaticorum , & hypogaftricorum vaforum ad latera cervicis uteri unionem minime Noftrum latuiffe.

In Tabulæ XIV. Figura I. nequaquam partium exiguitas Euftachium prohibuit, quin fe illud quoque fcire fatis oftenderet, ab ani fpinctere fibras per cunni latera deduci verfus hujus fummam partem, atque clitoridem . In Figuris autem III. & IV. cum ipfius caveæ uteri longe accuratior Figura obfervanda eft, quam ea , immo & confequentia tempora propemodum ferrent ; tum vero in primis manifeftum Tubæ Falloppianæ in uterum tranfitum fpectare oportet . Figuræ autem ad fœtum , & ejus involucra pertinentes, collatis homine, & brutis, Vefalii in his rebus lapfum evidenter coarguunt.

Verum his , aliifque prætermiffis, recta ad Tabulas XVII. & XVIII. veniamus . Et primum in illius Figura II. præter medullaris fubftantiæ per cerebellum in arboris, & ramorum modum difpofitionem, juvat obfervare duo faltem genera proceffuum cum cerebello commifforum, nempe & eos inferiores, ex quibus Varolius poftea a fe primum, ut credebat, animadverfis fpinalem medullam ex parte componi monftravit , quod ex hac Tabula non latuiffe Euftachium , conftat; & eos fuperiores, qui a Teftibus in cerebellum , ut Willifio videtur, protenduntur. Ad horum initium origo Patheticorum nervorum, de qua a Vefalio ignorata Falloppius quoque in Obfervationibus locutus eft, hic evidenter confpicitur . Eam nofter in examine offium, antequam Falloppium legere potuiffet, jam fcripto, Fabio Amicio indicare voluerat, dum inter eorum commemorationem , quæ ut admirabilia ipfi oftenderat, *excitare* , inquit, *te nervi etiam debeant*, *nam ut mittam nunc illos* , *qui prope cerebri nates oriuntur* (nempe hos, quos hic delineat

lineat, Patheticos) *& alios qui juxta ſpinam procedunt*, *ac tres quoque propagines ſexti jugi nervorum cerebri a medulla ſpinali principium ſumentes* (quos porro eſſe in ſequenti Tabula delineatos, mox oſtendam) *nonne ſoluto &c.* Denique in hac eadem II. Figura operæ pretium eſt obſervare, medullam ſpinalem, non ut a Veſalio, ſemper magis, atque magis quo magis a calvaria recedit, attenuatam proponi, ſed ibi craſſiorem, atque pleniorem, unde magni artuum oriuntur nervi: quod item & a Falloppio animadverſum, & ante hunc in Caroli Stephani libris pictum, nunc paſſim in accuratiorum Recentiorum figuris ſpectatur. Figuram vero IV. dum inſpicimus, proderit ante oculos habere Anatomiæ Cerebri Clar. Ridley cap. 7., in quo plexum choroidem tradit *ab utroque latere eſſe duplicem*, *quod hactenus a nemine fuerat obſervatum*; ponit ſcilicet (ut hic Euſtachius, qui hæc ad poſteriora reflexa pingit) alteram plexus partem a latere, alteram autem in medio inſtar latæ expanſionis nates, & teſtes, & glandulam pinealem obvolventem. Quod autem Ridleyus in eodem cap. præter venas a Williſio deſcriptas, duas ſemper ſe dicit reperiſſe anterioribus ejuſdem plexus extremitatibus occurrentes, fortaſſe id eſt, quod in III. hujus Tabulæ figura monſtratur. Figuram vero VI. Tabulæ XVII. ſi videre homines potuiſſent, cum Varolius ſuum de circumductione, ſeu reflexione Opticorum nervorum, & vera eorundem origine inventum propoſuit, non id ad Fabricium ab Aquapendente pertinere, odioſe contendiſſent, ſed Euſtachio deberi, evidenter oſtendiſſent.

Quid porro, Lanciſi Doctiſſime, de Tabulæ XVIII. Figuris omnibus dicemus, in quibus nihil fere eſt, quod non noſtra hæc potius, quam Euſtachii deceat tempora? Diligentiam ſane, qua ſunt paratæ, accuratiſſimam vel minimæ res teſtantur, & in his duæ illæ, ut Williſius appellat, candicantes glandulæ pone infundibulum conſtitutæ, quæ in nulla harum quinque Figurarum deſiderantur. In I. autem & III. Figura (ut ſingulas conſideremus), occurrunt illæ, quas ſupra Euſtachium vocaſſe diximus *tres propagines ſexti jugi nervorum cerebri a medulla ſpinali principium ſumentes*, nos vero juxta communes his temporibus appellationes, quas in hac epiſtola retinemus, radices vocamus nervi Spinalis ad Par vagum acceſſorii: quem ante Williſium jam pridem (inquit Ridleyus cap. 16.) obſervaverat, imo delineaverat, atque deſcripſerat Vidus Vidius. Cæterum ex his Euſtachii Figuris & cui debeatur, & Vejuſſenium in prima ejus origine deſcribenda magis quam Williſium, aut Rydleyum ad Euſtachii obſervationes accedere, facile colligitur: quis autem ad verum magis accedat, hic quidem non judico. Ut vero mittam de nervorum, & in primis quinti paris ramificationibus, quæ in hac Tabula proponuntur, dicere: facere tamen non poſſum, ut in I. Figura prætercam non modo portionem duram Paris Auditorii a Veſalio ignoratam, ſed & hujus primum poſt inflexionem, quam in Aquæductu ſubit, cum chorda tympani a pari quinto proveniente unionem, & demum cum hoc eodem pari conjunctionem (de qua alii aliter) delineari, de quibus pleriſque rebus ut noſter in Epiſtola de Auditus Organis verba fecerat, ſic quod ſpeciatim ad memoratæ Chordæ originem, & finem attinet, multo quam Falloppius diligentius propoſuerat. Nunc miſſis cæteris, in Figuræ II. conſideratione moremur. Et in ea nervos vulgo intercoſtales dictos inſpiciamus, qui neſcio an ſint illi, qui ut ſupra dictum eſt, *juxta ſpinam procedere* ab Euſtachio admirabiliores ſuas obſervationes Amicio commemorante dicebantur. Nam etſi iidem nervi ſuperioribus, & æqua-

æqualibus Anatomicis non erant ignoti ad vertebrarum thoracis, & lumborum latera; ad latera tamen vertebrarum cervicis eosdem Vesalius videre non potuerat; itaque ceu ab octavo pari infra cervicem enatos proposuerat. Ipse autem Falloppius etsi videtur ubi olivare suum corpus, sive plexum describit, aliquam majorem gemini prædicti nervi habuisse notitiam; non tamen ejus veram cognovit originem. Immo Willisius in Nervorum descriptione cap. 5. *Origo*, inquit, *ejus nondum satis detecta fuit*; *nam a plerisque Anatomicis pro ramo paris vagi perperam sumitur*. Hæc autem origo ex ea saltem parte, quæ ad nervum sexti paris attinct, manifestissime in hac Figura demonstrata est. In qua præterea & plexus plures, & origines, ac distributiones nervorum observantur, quas sane res non dico ex Vesalii solum Tabulis, sed & aliorum, qui sunt illum ad recentiorum usque tempora consecuti, partim nullo modo, partim non satis licebat addiscere. Quæ sigillatim recensere nunc mitto, quoniam sentio, in his duabus Tabulis considerandis (quæ alioquin omnium videntur consideratione dignissimæ) aliquanto, quam vellem, me prolixiorem fuisse.

Sed vicissim breviorem multa esse me cogunt in sequentibus usque ad XXXVIII. Tabulis considerandis; primum quod in earum aliis nulla quidem nunc occurrunt ita digna consideratione; deinde quod de aliis, & nominatim de illis duodecim, quæ musculos exhibent, Te minus sollicitum esse, scribis: denique quod earum aliqua haud pauca habet, quæ in octo jamdiu editis Tabulis etiam sunt. Attamen ut intelligas has quoque, de quibus nunc loquor, Tabulas me inspexisse, pauca in paucis considerabo. Igitur in Tabulæ XXVII. Figuris II. & IV. ex mutuæ vasorum mesaraicorum ad modum arcuum communicationes ita perspicue, & eleganter expressæ, ut nunquam meminerim melius, satis testantur Eustachii in his quoque vasis exercitationem, quam in Antigramm. 8. de Vena sine pari subindicaverat. Ad ea autem, quæ in pluribus suorum Opusculorum locis de nonnullarum venarum, & in primis venæ sine pari distributione, variisque communicationibus tradidit, facilius intelligenda, & nonnullæ hujus Tabulæ Figuræ, quæ in octo prioribus Tabulis aut nullo modo, aut ob loci angustias decurtatæ proponuntur, & ipsa quoque superior Tabula XXVI. vehementer utiles sunt.

In Tabula autem XXIX. primus omnium Eustachius Occipitales musculos pinxit, ut quos Falloppius a reliquis omnibus Anatomicis scribit esse prætermissos. Eosdem quoque pingit in XXXI. XXXII. & XXXIV.; in quibus ut & in XXX. musculos præterea exhibet, qui supra, & qui pone auriculam sunt constituti, de quibus Falloppius idem pariter animadvertit.

Tabula XXXV. Mastoidæos musculos, & duplicem singulos habere originem, & sic in duos utrinque dividi posse, ut Eustachius adversus Vesalium in Opusculo de Motu Capitis scripserat, dilucide ostendit; quemadmodum ea, quæ adversus eundem de duobus Capitis Musculis, quos complexos vocant, in proximis superioribus periodis attulerat, a Tabula XXXVII. confirmantur. In qua Tabula exiguus ille, qui ex anteriore ani ora dependet, musculus num is sit, qui musculus urethræ sine pari a nonnullis Recentioribus appellatur, alii viderint.

Porro Tabula XXXVIII., præterquam quod de musculis intercostalibus interioribus illud ostendit, quod Eustachius Antigrammate ultimo de vena sine pari indicavit, quod sci-

ſcilicet *ad radices coſtarum non pertingant*, sì cum Tabulæ XLI. Figuris VIII. & XIII., ut par eſt, conjungatur, ea præſertim demonſtrat, quæ de duplici utrinque muſculo, quem longum Colli vocitant, hujuſque in caput implantatione; & de duobus præterea, vel tribus prætermiſſis a Veſalio Muſculorum paribus, quæ caput movent, poſt nuper indicatum Opuſculi de motu Capitis locum ab Euſtachio tradita fuerunt. Quæ quidem omnia una cum his Tabulis, unaque cum illis, quæ paulo ſupra de capitis, & primarum vertebrarum ligamentis docuerat, conferri diligenter velim cum iis, quæ de duobus earumdem partium ligamentis, & de quinque paribus muſculorum diverſis capitis motibus inſervientibus a Dupræo Chirurgo Gallo propoſita ſunt, quorum ſumma una cum Epicriſi, & quaſi Vindiciis Cl. Cowperii, & Figuris utriuſque in Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1699. exhibetur. Sic enim ſcio fore, ut nonnulla ex iis, quæ ibi, ut ignota omnibus ſunt propoſita, Euſtachium non latuiſſe intelligatur.

Tabulæ XXXIX. inferiores Figuræ primum omnium Euſtachium emendaviſſe teſtantur id quod a Veſalio in oculorum muſculis oſtendendis peccatum fuerat.

In XL. autem Tabula ea in primis exhibentur, quæ Euſtachius in examine Oſſium a ſe præſtita commemorabat. *Nonne*, inquit, *ſoluto prius oculo in ſingulas ſui membranas, quod vix animus capere poteſt, foramen nervi viſorii Tibi, & aliis vel multis reclamantibus, ante oculos ſexcenties expoſui*? Oſtenditur quoque id quod in Libri de Multitudine cap. 32. affirmaverat, nempe venas, & arterias a *cerebro per intimiorem nervi viſorii ſubſtantiam trajici, ac inde in retinam oculi tunicam diſpenſari*; *tum accuratam ſectionem, tum firmam rationem oſtendere*. Illud præterea in Figuris II. III. VI. XI. obſervandum eſt, vaſa per choroidem, non ut in retina anteriora verſus, ſed poſteriora verſus prorepentia, & fibroſam ipſius choroidis ſtructuram monſtrari.

Sed ad Tabulas XLI. & XLII. tranſeamus, in quarum pleriſque Figuris inſpiciendis dicere non poſſum, Lanciſi Ornatiſſime, quantam ceperim voluptatem; dum & eorum, quæ in priſtinam in Anatomica hiſtoria ſedem reſtituere, & eorum, quæ inter diverſas Anatomicorum deſcriptiones ſeligere ante hos ſeptem annos in meis primis Adverſariis Anatomicis conatus ſum; in quæcunque, inquam, eorum in duabus hiſce Tabulis Euſtachius incidit, idem mecum vel de rerum dignitate, vel de hiſtoriæ ſelectu cenſuiſſe evidenter intelligo. Atque utinam per magnarum rerum tunc adhuc inveniendarum copiam, & quarum magnam ipſe partem detexit, ad ea deſcendere tam accurato Anatomico licuiſſet, quæ nobis quaſi ex magna meſſe perpaucæ ſpicæ, non neglectæ quidem, ſed elapſæ, improboque adeo labore raris, & plerunque abſtruſis in locis legendæ relicta ſunt; profecto non dubito, quin ex iis quoque, quæ a me non tanquam reſtituta, aut ſelecta; ſed ut primum inventa propoſita ſunt, plura eſſent, quorum inventionis diviſam cum tanto Anatomico gloriam haberem. Nunc ex his, quæ deprehendiſſe viſus ſum, unum ex omnibus, & levius quidem, eſt illud, quod de veris hyothyroidum, & ſternothyroidum muſculorum terminis monui; quos paſſim fere ut in Veſalii Figura, in Tabula XLII. num. 30. ab Euſtachio, ut cum ſuis conferri poſſet, allata, pictos deſcriptoſque animadverteram. Itaque meam, & deſcriptionem, & Figuram cum Euſtachii V. & XII. in Tabula XLI. ſatis convenire vehementer gaudeo. Cum autem mihi, & cricoidis cartilaginis capitula, & medium epiglottidis lignamentum, & præſertim laryngis ventriculos, de quibus paſſim Recentiores ſilebant,

bant, & obſervare contigiſſet, & reſtituere placuiſſet; mirum nunc in modum gaudeo, a graviſſimo hoc Anatomico nihil horum eſſe prætermiſſum, ut qui prima in VII. XLII. Tabulæ, alterum in V. facile adumbrat: ventriculi autem dexteri orificium certe in XI. Figura demonſtrat. Cumque pariter inter diverſas Anatomicorum ſententias, & circa epiglottidis muſculos depreſſores, & circa cricoarytænoidæorum poſticorum ortum, atque tendentiam, & circa arytænoidæorum ſtructuram, & in primis circa Thyroidæ glandulæ duplicitatem id mihi ſeligendum viſum eſſet, quod diſſectiones propriæ docuiſſent; admodum lætor, Euſtachium mecum facere, qui in XLII. Tabulæ Figura I. nullos epiglottidis depreſſores agnoſcat, qui in eadem, & in II. cricoarytænoidæos, & arytænoidæos juxta meam deſcriptionem delineet: quique demum in V. & VII. Figura XLI. Tabulæ, non modo unam mecum tyroidæam proponat; ſed in cunctis ejus conditionibus ita conveniat, ut ne illam quidem appendicem omittat, quam ab ea ſurſum per thyroidis faciem perſæpe protendi adnotaveram. Ad quas Euſtachii figuras, ſuas ſi adhuc viverent, emendare illi demum poſſent, qui ad meas emendare neglexerunt: quanquam plura, etiam ubi maxime diſſimulant, a me ſumpſerint, & plura ad mea Adverſaria emendaverint; ut eorum Anatomiæ utramque editionem conferentibus planum erit, quæ utinam ſemper bene intellexiſſent. Sed nolo cum umbris hominum, præſertim & laude alioquin dignorum, & mihi non omnino ingratorum luctari. Itaque præſtat in his ipſis V. VIII. Euſtachii figuris, quemadmodum & in XI. illud præterea obſervare, ut Veſalii in linguæ muſculis defectus egregie emendetur, utque præterea in ſequentis Tabulæ Figura V. linguæ glandulæ, ſicut in hujus VIII. nonnullæ tracheæ glandulæ non omittantur. Porro ſi CI. Amiciſſimoque Valſalvæ & XI. & XIV. hujus Tabulæ Figuras, & præterea IV. & VI. ſequentis Tabulæ cum laudatiſſimis ſuis V. & VI. Tabulis comparare placuerit, non dubito, quin ſicut intelligat, præcipuum in his ſuum Uvulæ, & Pharingis continuitatis inventum Euſtachio ipſi ignotum fuiſſe, ita agnoſcat lubens, nonnulla tamen ex reliquis eundem quoque non omnino latuiſſe, illam vero, quæ a me in Epiſtola ad ipſum data reſtituta ex Falloppio eſt, Stylopharingæi muſculi in cornua oſſis hyoidis, & in ſupernam oram cartilaginis ſcutiformis implantationem in XLI. Tabulæ Figura XI. ſubindicari.

Porro quæ in proximis Tabulis ad ſceletorum pedes ex organo auditus oſtenduntur, eorum ab Euſtachio nonnulla inventa, fere omnia primum fuerunt delineata. Cæterum in ſceleto Tabulæ XLIII. *contextus ille elegantiſſimus*, *quem ſpuriarum coſtarum cartilagines invicem efficiunt*, quemque a Veſalio *oſcitanter prætermitti* Euſtachius dixerat in Oſſium Examine, conſpici poteſt. Hic ipſe eſt, quem, quamvis paſſim ab aliis omiſſum, Verehyenus in altera Anatomiæ ſuæ editione diligenter memoravit, atque depinxit. Illud quoque in ſceleto hujus, & proximarum Tabularum obſervatione dignum eſt, quod os ſacrum, non ut a Veſalio, ſex partibus conſtans, & quinque ante, & retro foraminibus utrinque pertuſum pingitur; ſed quinque conſtans partibus, & quatuor utrinque foraminibus pervium, quale ſcilicet *magna ex parte in hominibus eſſe ſolet*, ut in eodem Opuſculo animadvertit Euſtachius. Hæc tamen, & ille, quem modo diximus, cartilaginum contextus in Tabulis etiam Caroli Stephani utcumque rudibus, & antiquis occurrunt.

De his tandem, quæ ſunt poſtremæ, duabus Tabulis, illud primum in univerſum cenſe-

censemus, plerasque earum Figuras, ut ex XII. Tabulæ XLI. iis potissimum illustrandis inservire, quæ in memorato nuper Opusculo pro Galeno contra Vesalium ab Nostro afferuntur: quod (ut cætera prætermittam) primo statim aspectu in ultima quidem Tabula Figura XVIII., tresque illi proximæ satis monstrant; in quibus illæ, quæ in eodem libello traduntur ossium sterni, ejusque cartilaginis varietates accurate exhibentur; in Tabula autem XLVI. idem plures illæ, dissimilesque calvariæ attestantur. In quarum porro plerisque observo peculiare illud Foraminulum pro Vena, a Falloppio cum duræ matris sinnbus egregie descripta, quam nunc Occipitalem recte appellant, non desiderari.

Hæc habebam, de quibus Te, Vir Doctissime, statim, ut jussisti, certiorem facerem, Sus, ut ajunt, Minervam. Erant præterea in his Tabulis dubia quædam, & subobscura, de quibus aliquid scribere fortasse poteram, sed nolui divinare. De his vero, atque aliis, quæ aut scientes prætermisimus, aut forte etiam in his tantis angustiis temporis haud satis vidimus, fortasse olim si quid otii dabitur, in ea quam concepimus, Anatomicorum Inventorum Historia scribemus. Quam quoniam ea scripta Eustachii adjuvare plurimum possent, quæ adhuc latent; oro Te, obtestorque, ut sicuti has Tabulas, ita & ea scripta e latebris eruere, atque producere aggrediaris. Ea namque Eustachius cum in Opusculorum Præfatione *propediem se esse editurum* promisisset, anno proximo in Præfatione ad suas in Erotianum Annotationes, & in Libellum de Multitudine, *parata esse*, & in ejusdem Libelli cap. 15. *jam absoluta esse* indicavit. Quæ vero de ipsis, deque sua in illis diligentia speranda essent, cum iisdem in locis, tum in Præfatione ad Opuscula docuit, his *multo* illa *utiliora* pronunciare non dubitans. Magnitudinem quoque Operis eodem in loco satis ostendit, dum *ne tantum opus multo prius aggrederetur ad imprimendum, a fortunarum suarum imbecillitate se deterritum* scribit: quod sane de Tabulis potissimum non esse accipiendum, illud probat, quod ostendimus jam ante annos decem illas æri incisas fuisse. Quanquam & ejus Operis magnitudinem, & servatam in eo scribendi rationem ex eo quoque æstimare licet, quod ea Syngrammata, & Antigrammata, quæ de duabus tantum venis, sine pari, & profunda brachii, edidit, non pauca quidem, sed parvam tamen, si reliquis omnibus respondere debent corporis partibus, totius Anatomes particulam, ea, inquam, *ex eo libro, quem de dissentionibus anatomicis scripserat, accepisse se*, dicit in ea, quam illis præfixit, Epistola. Eum autem librum illa ipsa scripta esse, quæ nunc quærimus, memorati superius loci aperte significant. Neque aliquis credat nihil in iis scriptis contineri, quod ab his Tabulis, quæ una videlicet prodire debebant, non ostendatur. Non enim his Tabulis omnia Eustachium complexum esse, quæ *ex infinitorum pene hominum, atque animantium* sectione didicerat, multa indicio esse possunt. In quanam earum quæso extat *mirum* illud *naturæ artificium ab aliis Anatomicis (quod sciret) minime animadversum, in plerisque duræ cerebri membranæ sinubus* ipsi notum, ut innuit cap. 14. lib. de Multitudine? In quanam satis extant *quædam corpora permixta, in multis animalis partibus, præsertim vero in cruribus occurrentia, quæ in aliquot nervorum, venarum, atque arteriarum surculos, detracta membrana eos succingente facile solvuntur*, quæ a se *in gratiam Galeni publice ostensa* ibidem scribit cap. 32.? In quanam *innumerabiles pene nervorum propagines: quæ quidem ut visum sibi esse*, ibidem dicit cap. 33.

 in

in corporibus ſecandis obſervaſſe, *in cutem non ita frequenter inſeruntur* , *ut quiſpiam fortaſſe arbitratur* ; *ſed ut plurimum in tenuiſſimas fibras diſſectæ* , *adipis ſubſtantia terminantur* ? Quænam porro Tabula ſatis monſtrat quæ *de duplici peritonæo* , *& de vaſorum ſeminalium in ſcrotum ingreſſu* (longe aliter profecto atque Veſalius) *docuiſſe ſe* dicit in Oſſium examine ? Quænam denique , ut alia nunc omittam , aut *nervum viſorium in eo animali* (quod Malpighius poſtea manifeſtavit) *in innumeras rugas complicatum* , *& inciſa tunicula ambiente in amplam membranam totum explicatum* , aut thoracicum ductum luculenter in equo deſcriptum Antigram. 13. de vena ſine pari ? quænam inquam , Tabula (nam quædam earum etiam ex brutis nonnulla exhibent) hæc oſtendit ? Eſt ergo ſperandum , ſi ea ſcripta tandem aliquando proferantur in lucem , multa alia in iis inveniri poſſe , quæ hæ Tabulæ non complectantur . Quæ cum ita ſint , Optime Lanciſi , perge porro , & quod præclare cæpiſti , feliciter perfice . Apud eoſdem Pini hæredes quemadmodum Tabulæ deliteſcebant , ita quoque hæc ſcripta latere poſſe conjicio . Fuit enim ab Euſtachio Pinus ita in *ſocietatem laborum* vocatus , ut aliqua ex parte , quæ in iis etiam ſcriptis conſignatæ erant , Obſervationes ad ipſum pertinerent . Itaque Pinus ut in Epiſtola ſua in Hippocratem præmiſſa Indici eas Tabulas (quemadmodum ſolertiſſime obſervaſti) promittere potuit , quaſi ut ſuas ; ſic in Annotationibus ad Cap. 1. libri de Renibus , vivente , & vidente Euſtachio : *nonnulla de renum ſinubus a nobis animadverſa* : aperte ſcribere non dubitavit . Sed ſive hæc , ſive alia placeat inquirendi via , quæ Tibi & ſpectatæ ſolertiæ , & non vulgaris eruditionis Viro vel multiplex deeſſe non poteſt , noli , quæſo , in aliud tempus differre ; ſed quo die tuo , atque adeo meo CLEMENTISSIMO DOMINO tuam iſtam novam Bibliothecam ingredienti Euſtachii Tabulas offeres tuis adnotationibus exornatas , ne dubita commune hoc alterum Litteratorum hominum votum pro ea , qua eoſdem , & Litteras , Litteratiſſimus ipſe reſpicit , dignatione , & pro ea , qua tu polles & gratia , & eloquentia , aperire . Ego ſi Noſtrum novi DOMINUM , ſpe bona certaque ſum plenus , ultro ipſum ſua auſpicia , & authoritatem eſſe iterum promiſſurum . Quibus , ſi , ut nuper in Tabulis , ita nunc in Euſtachii Scriptis inveniendis feliciter , ſicut voveo , uteris ; non plus ille , dum viveret , aut Divo Cardinali Borromæo , qui *ſuo favore non indignum putabat* , aut Ampliſſimo Urbini Cardinali , *cui inſerviebat* , & cujus domi alebatur , non plus , inquam , vivens illis debuit, quam SANCTISSIMO PONTIFICI , & ejuſdem Præſtantiſſimæ Urbis decori maximo , atque immortali, nunc mortuus erit debiturus . Vale.

Datum Patavii XIII. Kal. Novembris MDCCXIII.

CLA-

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO

D. JO: BAPTISTÆ MORGAGNO

In Patav. Lyceo Med. Professori Celeberrimo.

JO. MARIA LANCISIUS S. P. D.

SI unquam alias gratæ ab amicis, optatæque literæ redditæ sunt, gratissimas profecto abs Te superioribus diebus accepi; quippe quæ luculentissimas animadversiones ad nuper inventas Eustachii Tabulas secum attulerunt. Ac licet jampridem sedulam, pro mea virili parte, operam impenderim legendis hujus Scriptoris cum Anatomicis Opusculis, & Annotationibus ad Erotianum, tum libello de Multitudine, immo etiam in ejusdem Eustachii Opuscula Annotationibus a Matthæo Pino collectis, in quibus sane omnibus non pauca sparsim deprehendi harum Tabularum documenta; est tamen quod ingenue fatear, Epistolam hanc tuam obscuris quibusdam locis facem mihi prætulisse; præsertim vero, cum egregie probare adniteris, Eustachium non modo sæpe, quod notissimum est, Vesalium castigasse, sed tale, tantumque studium cum in veris perquirendis partium *infinitorum pene animalium* structura, & officiis, tum in Tabularum delineatione adhibuisse, ut omnium sui temporis Anatomicorum conatus ita facile superaverit, ut nemo aut eidem inventorum suorum palmam præripere, aut de gloria delineationis possit cum illo contendere; præsertim cum idem Scriptor decennio ante, quam sua Opuscula edidisset, tentata jam haberet experimenta, paratasque animadversiones, & Tabulas Anatomici sui operis; ac perspicuum propterea evadat coævorum Anatomicorum labores prævertisse: cujus rei publicum, gravissimumque testimonium nobis impertitur Amatus Lusitanus, qui suarum Curationum Centuria V., (a) quam collegit anno 1555. de ipso Eustachio contra Vesalium scriptum reliquit. *Nobiscum hac in re est Bartholomæus Eustachius Ducis Urbinatis Medicus, qui ita rem haberi per literas e Roma mihi significavit: ut prope diem docto, & eleganti libro suo de Anatomia in lucem futuro, omnibus palam faciet*. Sed quid alio opus est testimonio, ubi idemmet Eustachius (ut Tu pariter sedulo animadvertisti) in Opusculo de Renibus pag. mihi 68. nuper inventas Tabulas jam *Anno salutis millesimo quingentesimo secundo æri incisas* se habuisse fatetur.

Itaque notas meas eo nunc alacrius in publicum emittam, quod magis illas auctoritate tua videam confirmatas. Nec dubito, quin Tibi immortales gratiæ ab universa literaria republica habendæ sint, qui tuis etiam doctissimis annotationibus Eustachii Tabulas immortalitate donaveris; nec debitas SANCTISSIMO PATRI omnis literaturæ Summo Auspici, & Mœcenati, laudes reticueris; quas cum BEATISSIMI PRINCIPIS oculis subjecissem, benigne pollicitus est, Auctoritatis suæ vires omnes, & Operam se in Eustachii Scriptis inquirendis diligenter collocaturum.

Cæterum plurimas Tibi gratias ago, quod ad officia erga me paratissimus tam

 cito,

(a) Curat. 60. pag. 528.

cito, tam multa, egregia, & ſolida reſcripſeris. Certe noſtra ſemper, quam aliorum, de tuis commentariis major erit admiratio. Nam cæteri quam bene, & quam emendate ſcribas aperte cognoſcunt; nos etiam quam facile, & quam celeriter abſtruſiſſima quæque ſoleas explanare. Vale.

Datum Romæ Prid. Kalen. Novembris MDCCXIII.

BERNARDUS SIEGFRIED ALBINUS

AVDITORIBVS SVIS S. P. D.

EXplicationem promiſſam à me, Auditores optimi, vobis non modo exhibeo, ſed etiam dico, dedicoque. Quid enim fieri poſſet æquius, quam ut ad vos perveniat tota, quam, vobis morem ut gererem, cauſſaque veſtra, & ſuſcepi conficere, & abſolvi? Ac vos quidem, qui per hos quatuor & viginti annos, ex quo tempore hac in Academia docui, operam mihi alii poſt alios dediſtis, cum ſatis jam moveri poſſetis ſummis illis laudibus, quibus Euſtachii Tabulas extulerunt Viri præſtantiſſimi, aſſidua etiam commendatione mea adducti eſtis, ut, quando in anatomicis, quorum aliquid in iis continetur, verſaremini, in manibus eas ſemper haberetis. Sed, quemadmodum ſæpe & multum conqueſti eſtis, impedimentum identidem intulit, & a Tabulis rejecit difficultas intelligendi illa omnia, quæ exhibita in iis ſunt: quippe cum nudæ, abſque ulla Euſtachii ipſius expoſitione, præter vulgatas octo primas, repertæ ſint, & ut ſummorum hominum opera, quam ad eas illuſtrandas contulerunt, adjumento ſint in multis, ea tamen in multis quoque, inter quæ non pauca ſint perdifficilia, paſſim deſideretur. Quo factum eſt, ut multi olim veſtrum, quibus præſentibus atque inſpectantibus, corpora hominum pro demonſtrationibus anatomicis quotannis ſecui, & rimatus ſum, Euſtachii figuris ſtudioſe adſcripſerint, quæ tunc vel animadvertebant ipſi, vel à me requirebant: multi, quæ in demonſtrationibus ipſis laudari a me audiebant, & explanari. Atque ita non pauca quidem paullatim collegerunt, ſed tamen tantummodo diſperſim. Quamobrem ante multos annos, iis, quos ex vobis tunc temporis Auditores habebam, petentibus, publicis ſcholis, quas per anni academici decurſum hic habebamus, Tabulas illas exponere ſuſcepi, brevibuſque notis tanquam indicem earum perpetuum tradere: quem ex ore meo annotare, anniſi ſunt: eumque deinde, traditum per manus, adhibuiſtis, qui inſecuti eſtis, atque ita, ut, cum Anatomen vobiſcum tractarem, eum confirmare, & augere, non deſtiteritis. Fuerunt deinde inter vos, qui, ut deſcribendi labore ſocios ſtudiorum ſuorum levarent, conſervarentque, quæ ipſi quidem interire non debere putabant, conſilium edendi indicis illius ceperint. De quo cum ad me referrent, rogare ego eos, ut ab incepto deſiſterent: deberi enim hoc Euſtachio, deberi æſtimatoribus ejus, deberi utilitati publicæ, ne quid nimium feſtinanter, ne quid imperfecti agatur: fieri vix poſſe, ut quæ ex ore tradentis ſic excepta ſint, ac deinde ab aliis aliiſque digeſta, & aucta, ſatis habeant maturitatis. Cum inſtarent; ego, deberi etiam mihi, a quo iſta acceperint; deberi vel maxime ab ipſis, qui acceperint. Tunc igitur deſiderare ſe ſignificarunt, ut ejuſ-

ejusmodi aliquid ipse emitterem. Ab eoque tempore instare non desierunt, & jure etiam quodam, ut ipsis quidem videbatur, a me contendere, ut, quibus maxime admodum juvari posse studia sua docuerim tabulis, his ut recte uti possent efficerem. Ne igitur deessem flagitationi eorum, aggressus sum non ad recensenda modo illa, confirmandaque, quæ jam habebam collecta; sed etiam ad addenda, quæ deficiebant: quanquam satis animo prospiciebam, in multas magnasque me incursurum difficultates, indicem aliquem conficere si illa quidem accuratione vellem, quæ, non dicam dignitati Eustachii, sed vestro studio, & meæ saltem voluntati, aliquo modo responderet. Atque ita etiam evenit, ut prævideram. Figuræ videlicet erant alienæ, resque & permultas, & varias, inter easque etiam intellectu minime faciles, continebant: & conandum tamen erat, eas non jam alicubi, & ad libitum electis quibusdam in locis, sed ubique, intelligere, & interpretari. Quamobrem minime mihi mirum accidit, tantum me & temporis, & operæ, non rarò etiam permolestæ, ea in re una consumsisse, maximeque in comparandis figuris cum rebus ipsis, atque adeo in excutiendis hominum corporibus, ad invenienda illa, quæ minus erant in figuris manifesta & perspicua, ut certi quid, aut probabilis proferre de iis possem. Quod tamen multo facilius fecissem, nisi efficiendum temporibus illis fuisset, quibus, cum fere sola idonea sint ad demortuorum corpora tractanda, ad incidenda ea, & Anatomicen ex iis, quod muneris mei ratio postulabat, tradendam, ut vos optimi testes estis, plane indigui: illis, quibus, quin præterea alia multa ex illis isdem corporibus, quod opportunum erat, colligerem, impetrare a me non potui. Accessit hoc etiam molestiæ, quod, cum scrupulus aliquis restabat, ut sæpenumero accidit, aut confirmare, quæ animadvertisse me opinabar, cupiebam, ad eundem insequentibus annis iterum, ac sæpius redeundum fuerit laborem. Et probe memini, nec dissimulo, non pauca me diu torsisse. Ne dicam de recognoscendis annotationibus, iisdemque digerendis: de toties perlegendis scriptis Eustachii, ad aliquid in iis inquirendum, quod lumen in tenebris præferret: de evolvendis antiquorum scriptis, quamvis obscura sæpe, ad cognoscendum, an ferre aliquid opis possent: de conquirendis, & expendendis illis, quæ a præstantissimis solertissimisque Viris super Tabulis hisce scripta sunt: de conficiendis Tabulis linearibus, notisque necessariis eis inscribendis: de Tabularum, deque tota denique operis editione curanda. Ad quæ omnia, operosa sane, vix satis temporis ex tot aliis publicis privatisque negotiis, quibus distentus fui, surripere potui. Quid multa? Rem, ut potui, perfeci. Ex qua opera, vobis libenter præstita, si quid alii etiam fructus forent, si quid Eustachii Tabulæ collustrabuntur: id omne debebitur vobis, quod auctores fuistis, & impulsores. Quamvis autem hic liber serius prodeat in lucem, quam quidem vos, qui me antea audivistis, voluissetis: mihi tamen illud perjucundum est, quod, quoniam vos ejus expectationem etiam nunc tenere, passim intelligo, sperare licet, omnes me & voluntatis meæ hac in parte fructus, & industriæ non perdidisse. Gratulor vobis, hoc interim spatio non minus dignitate, quam commodis, fortunamque plerorumque vestrum varia ratione crevisse. Qui Medicinæ exercendæ vos dedistis, vobis de laude gratulor, deque utilitatibus, quas peritia & industria vestra vobis quotidie comparatis. Ad docendum adhibiti qui estis, vobis gratulor, quod provinciam, quam suscepistis, tam egregiè, tantaque cum celebritate sustinetis. Pergite bene de republica merendo, fortu-

fortunam veſtram magis ac magis amplificare. Et vos, qui litterato otio multa cum dulcedine fruimini: voſque, quibus, etiamsì aliis ſtudiis dediti eſſetis, meis tamen intereſſe volupe fuit; pergite jucundiſſimos fructus ſtudiorum veſtrorum capere, & percipere. Vobis autem, qui me cum maxime auditis: & vobis quoque, qui me in poſterum audietis, ſi qui audient: vobis, qui ad eandem laudem, quam ſuperiores illi conſecuti ſunt, contenditis, eademque commoda ſpectatis, ut ea res fauſte, feliciter, proſpereque eveniat, precor. Viam vobis hoc opus promittit expeditiorem, ad hanc partem ſtudii, in quo eſtis, excolendam. Ipſæ equidem Tabulæ præterquam quod accuratæ ſunt, & perſpicuæ, & ſummo quodam judicio concinnatæ, ac multa contineant, melius quam ab ullo alio exhibita; præterea etiam eſſe vobis poſſunt epitome quædam iconica, eaque & utiliſſima & commodiſſima. Efficereque brevi hoc indice, quem accipitis, conatus ſum, ut iis uti facilius poſſetis. Quod ſi quæpiam præterea occurrant quæ animadverſione digna eſſe videantur, ei illa, ſi placebit, addetis. Ego quidem multa ſciens præterii, quod aut ex figuris ipſis ſatis ſuperque viſa ſunt apparere, aut, quæ attendantur, minus digna eſſe; de quibus fieri poterit, ut aliter aliis videatur. Et ſatis prævideo, non defuturos, qui alia atque alia in hiſce Tabulis oſtendi putent, & contendant, quamdiu Euſtachius ipſe in ordinem non coget: quamvis tamen rejicere illa nolim, antequam cognoverim. Vos autem uſu, tractandoque cognoſcetis, an ſatisfactum ſit propoſito meo, voluntatique veſtræ. Volui aliquid quidem efficere certe, quo gratificari vobis omnibus poſſem; & ſi quidem quod volui, quodammodo conſecutus ſum, ſatis mihi magna jam tributa merces eſt laborum, & vigiliarum mearum. Valete. D. Leidæ Batav. 1743.

PRO-

PROLEGOMENA

De ANATOME ad medium sæculi XVI. instaurata; deque EUSTACHII præsertim tabulis, nostro tantum ævo e tenebris in lucem vindicatis.

EX GEORGII MARTINII M. D.

COMMENTARIIS.

ANATOMEN diligenter exercuerunt, & in dies magis locupletarunt Græci medicorum patres, a principe Hippocrate Coo ad usque Claudium Galenum Pergamenum: qui doctrina, facundia, & arte omnes superans, bona aliorum simul congessit; ita sane ut ejus opera, si cunctis potiremur, veræ forent Græcæ medicinæ *Pandectæ*. Hic quidem Paeoniam artem ad tantum perfectionis fastigium perduxisse visus est, ut qui sequerentur Graii, ipsum quasi exscribentes, parum, in Anatomicis præsertim, illi se posse superaddere passim profiterentur. Neque multum novi in hisce quispiam sperabit ex compilatoria Arabum schola. Qua tandem ratione, quum & humana incidere cadavera sero duntaxat ex Pontificialibus constitutionibus licitum fuerit (a), cunctis ex librorum male intellectorum auctoritate petitis, sub fœda barbarie & ignorantia oppressa jacuit scientia corporis humani. Ut Nicolaus Massa (b) „ Non potuerit--non dolere: „ quoniam jam Anatomica scientia post Galenum oblivioni tradita est: neque sunt qui „ ipsam incisionem actualem agere curent; sed tantummodo ea scribere conati sunt, „ quæ „ neque oculis viderint, neque manibus tetigerint; sed ab aliis acceptis codicibus, ve-
„ tustate

(a) Vid. Alex. Benedict. Anat. 1. 1.
(b) Anat. Intr. 1. f. 4.

„ tustate, & incuria scriptorum, impressorumque vitiatis, lucidissimum solis lumen offuscarunt „.

2. Artem autem incisoriam sic obscuratam & misere corruptam, circa medium Seculi XIV. excolere cœpit Mundinius, quam sequiseculo postea aliquantulo magis expolivit Alexander Benedictus. Eandem autem ineunte Seculo XVI. vere instaurarunt Alexander Achillinus Bononiensis Medicus insignis, & Jacobus Berengarius Carpensis Chirurgus & Anatomicus exercitatissimus, circa an. 1520. editis commentariis, quæ veram, non fictam, aut ex aliorum libris compilatam, sapuerunt dissectionem. Quos excipiens Nicolaus Massa, doctissimus Medicus Venetus, secundum egregia sua merita haud satis notus, aut æstimatus, anno 1536. suo *Anatomiæ libro introductorio*, rudi utcumque stylo exarato, artem plurimis de structura, & usu partium novis inventis, & veris corporis humani sectionibus, ditavit; brutorum incisionibus parum confisus; neque more seculi Galeni in omnibus sequax, sed ad ipsam sensatam Anatomen, ut ipse loqui amat, passim provocans (a); Aliud quoque meditabatur opus Anatomicum, musculos, venas, & reliquas corporis partes fusius pertractans: quod tamen in lucem nunquam prodiit (b).

3. Sicque in Italia efflorescere cœpit Anatome, in regionibus Transalpinis serius germinatura. Eo quippe tempore in celebratissima omnium universitate Parisina, præter nugaces quasdam in Galenum, quem ut undequaque perfectum, atque falli, aut fallere nescium prædicabant, commentationes; & superficiarias nonnullas viscerum sectiones, idque præsertim in brutis animantibus; nihil fere amplius prodiderunt celebratissimi tum temporis professores medici, Joannes Guintherius, & Jacobus Sylvius; spreta ossium, musculorum, vasorum, nervorum, omniumque, quæ ad artus pertinent, considerratione (c).

4. Tum vero in medicinæ ornamentum, atque commodum gentis humanæ, supra alios caput extulit Andreas Vesalius, exortus uti æthereus soll. Ille ex patrum medicorum longa serie, Asclepiadea quasi stirpe (d), Bruxellis in Brabantia exeunte anno 1514. natus; etiam puer canes, glires, aliaque domestica animalia incidens, genium suum manifestavit anatomicum (e). Adolescens vero, in academiis Lovanii, Lutetiæ, Monte Pelii, Venetiis, omni literarum supellectile probe instructus, novis & absolutioribus, quam fieri solebat, anatomicis administrationibus, Parisiis primum inter commilitones suos brevi emicuit; & Lovanium reversus, istius academiæ studiosis accuratius hominis fabricam inter resecandum enarravit: medicinæ interim quæ manuum ope medetur, omni occasione maximopere intentus (f).

5. Quibus effectum est, ut impulsus parta jam fama viri, sapientissimus Venetorum Senatus, qui optima quæque semper suæ universitati Patavinæ conciliat, illum adolescentem adhuc, vixdum utpote 22. annos natum, an. 1537. ad medicinam chirurgicam

(a) Anat. Instr. 3. f. 34. f. 71.
(b) Ibid. 1. 3. 25. 30. 31. 32. 34. 40. 42. 44.
(c) Vid. Vesal. hum. corp. fab. ded. & Epist. de chyn. p.667. 675. 664.
(d) Vesal. ep. de chyn. p. 681.
(e) Adam. vit. medic. p.130.
(f) Vesal. H. C. F. ded. Ep. de Chyn. p. 621. 664. 667. 675. 680. Cun. exam. p. 851. 862. Chirurg. Mag. 1. 9.

gicam profitendam accersiverit (a). Hinc a Bononiensibus, & exinde a Cosmo Magno Hetruscorum Duce, liberalissimo bonarum artium Mæcenate, vocatus, Bononiæ quoque, atque Pisis, Anatomicam exercuit (b) tanta quidem industria, ut, in hisce tribus Italiæ academiis, quotannis integram pertractaret corporis humani historiam; frequentissima auditorum corona undique stipatus.

6. Parisienses ergo, quum Vesalium, ipsorum quondam alumnum, exercitationibus anatomicis jam clarescentem fama perceperunt, honesta æmulatione excitati, veternum, atque credulam, qua hactenus immersi fuerant, socordiam exuere cœperunt. Unde Carolus Stephanus professor regius librum eleganti stylo composuit *de Dissectione partium corporis humani*, plurimis rudibus utcumque figuris, a Stephano Riverio Chirurgo adornatum: quem ex propriis licet ut plurimum concinnavit administrationibus, Galeni tamen passim stabilire voluit verbis & auctoritate. Hicce liber maximam partem typis exaratus fuerat an. 1539; eundem tamen perficere, & in lucem edere, litigiosa quædam controversia impedivit diligentissimum auctorem (c). Quo malo fato non apparuit ante an. 1545., biennio postquam Vesalius magno suo opere Anatomen, ditissima, quam ullo ævo acquisivit, accessione locupletaverat, aliorumque omnium obscuraverat opera.

7. Hic etenim, post repetitas veterum in Anatomicis monumentorum examinationes, atque assiduas animalium incisiones; tum illorum a veritate & humani corporis fabrica diffidiis tandem clare perspectis, de Anatome in integrum reformanda serio meditabatur (d). Qua in re tantam adhibuit industriam, ut minus triennii spatio, juvenis adhuc, annum agens 28., librum de Corporis humani fabrica absolverit; subsequente anno 1543. in lucem emissum: opus sane incomparabile, cui æquale nulla huc usque vidit ætas. In picturis apparandis, (quarum nonnullæ jam ab anno 1539. in vulgus emissæ fuerant) iisque explicatione illustrandis; & quod maximi est omnium momenti, in partibus corporis eleganti & nitida oratione describendis inimitabilem suam ubique patefacit artem.

8. Dum vero in Anatomicis principatum, vere quidem sibi debitum, nimio ambiret ardore, Galenum ubique insectatur, & dicteriis proscindit; illi errores innumerabiles affingit, atque peracri, & non raro iniqua perstringit censura: colligitque tandem, non hominum, sed simiarum, aliorumque brutorum cadavera ab ipso fuisse explorata. Atque hinc diræ illæ & indecoræ in Schola Anatomica rixæ & odia; illa in duas quasi sectas, Galenicam, & Vesalianam, sibi invicem infensissimas, miserum in modum discissa (e). Seniores medici impatientissimi viderunt juniores artis nostræ filios quotidie ad Vesalium transfugas. Nec facile pati voluerunt præceptorem Galenum, cui unice fere huc usque fidebant, e principatu, quem tamdiu possederat, deturbari; aut erroneam, quam juvenes imbuerant corporis humani ideam, semperque retinuerant postea, ex imberbis adolescentis petulanti hortatu sese jam fama & senio maturos dediscere.

(a) Ibid. H. C. F. ded.

(b) Ibid. & 1. 17. p. 67. Ep. de Chyn. p. 630. Cum exam. p. 867.

(c) Præfat.

(d) Confer. H. C. F. dedic.

(e) Vid. Put. apolog. 11. p. 69.

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri (a).

9. Horum vero omnium maxime commotus est Jacobus Sylvius, Vesalii quondam in Physiologicis præceptor: acris vir ingenii; medicinæ Græcæ peritissimus, atque addictissimus, ejusque præcipuus in Gallia promotor, Arabum auctoritatis impatiens. Hic autem deperibat Galenum, ut ejus effata tamquam e tripode prolata habens, dirissimis minis terrere voluit Vesalium, nisi in gratiam cum summo illo veteris medicinæ patre rediret, suamque fabricam humani corporis ejus accomodaret doctrinæ. Neque aliis conditionibus pacem, aut fœdus cum illo initurum se posse palam declaravit (b). Quæ Parisiensis medici superbia adeo feriit liberum & juvenilem Vesalii animum, ut vindicias suas agens in *Epistola*, quam *de radice chyna ad Joachimum Roelants* an. 1546. nuncupavit, acrius adhuc, quam antea, Galeni insultaret manibus, litemque graviorem, difficiliusque resarciendam, redderet. Unde tanta ferbuit ira Sylvius, ut, omni deposito moderamine, an. 1551. *Calumniarum Vesalii* (quem puerili in nomine lusu *Vesanum* appellavit) *depulsionem*, bile & invidia saturatam, rabiosus effutiverit. Quumque firmus statueret nihil unquam Hippocratem, & Galenum in Physiologia cæterisque medicinæ partibus scripsisse, quod verissimum non esset; cumque tamen multa simul aliter in horum libris, quam in hominum corporibus prostare, ex Vesalii monitis invitus deprehenderet; eum tanta cepit dementia, ut, incredibile dictu! multum inutilem impenderet laborem, quo demonstraret corpora humana longe aliter in nostris terris & præsenti tempore, ac in Græcia, & Asia, priscoque Galeni ævo fabricari (c). Qua futili ac commentitia defensione prodi magis, quam propugnari bonam causam censuit vir, si quis alius Γαληνικωτατος (d), Eustachius. Hanc ergo depulsionem quum parvi faceret Vesalius, quippe prioribus suis operibus jam plus satis oppugnatam, credo, arbitratus; ejus confutationem generoso consilio suscepit Renatus Henerus, pro Vesalio edita *Apologia* an. 1554.. Cui brevi supervixit Sylvius, ipso sequentis anni initio, maturo confectus senio, fatis cedens; posthumo relicto utilissimo, quamvis imperfecto, opere, *Isagoge Anatomica*, quam an. 1555. edidit Alexander Arnaudius, Sylvii discipulus; luce sane dignissimam; atque, Judice Riolano (e) „ solertis ingenii fæturam incomparabilem, si postrema circumlitione fuisset expolita „. Hic quidem satis exercitatam in sectionibus auctor prodidit manum, quædam nova aliisque intacta proponens: &, quod præcipuum est „ Confusionem quæ in musculis, venis, arteriis, & nervis, reperiebatur, studii Anatomici remoram, in ordinem digessit, propriisque nominibus distinxit, quæ nunc ab omnibus Anatomicis retinentur „ (f).

10. Diver-

(a) Hor. lib. 2. epist. 1. 83.
(b) Vid. Vesal. ep. de chyn. p. 631. 675.
(c) Dep. calum. passim; & Isag. Anat. præf. &c.
(d) Ven. Azig. 6. p. 248.
(e) Anthrapogr. 1. 5.
(f) Laurent. hist. hum. corp. 1. 14. & Riolan. ibid.

10. Diversam longe viam iniit Realdus Columbus Cremonensis, non magis Vesalio quam Galeno favens; quamvis potiora sua illi debens, & in multis, tecte licet, officiose sequax (a). Illum primo Jo. Leonici primarii Chirurgi Veneti discipulum, postea dum apud Patavinos sophistices fuerit professor, sibi familiarem dixit Vesalius, ac Anatomes studiosissimum (b). Qui tamen, cum Columbum minus bene de se merentem postea percepisset (c), honorificam istam delevit commendationem: eumque „ citra literas, & cujusquam commentarios, Anatomen apud se didicisse non paucis „ constare „ (d), asseruit: atque „ ex Curtii cujusdam prælectionibus adamussim omnia „ tacite aufuratum (e). „ Cui testimonio adstipulatus Jo. Bapt. Carcanus Leonis, Columbum prodidit „ primo pharmacopolium exercuisse–literarumque fuisse expertem (f) „ Reapse tamen vir videtur satis acuti ingenii, nec imperitus artifex, vel ipso, acerbo satis posterioris ævi Anatomicorum censore Riolano (g) judice. Quem utique an. 1544., dum Vesalius in Germania Cæsaris ministerio detineretur „ universa schola Patavina „ dignum judicavit in hujus locum sufficere (h) „ Pisis quoque Anatomen docuit: tandemque ab an. 1549. in urbe se dicit professum, sæpe tercentis & amplius auditoribus circumdatum (i). Hic ergo, cum jam multas obiisset sectiones, cum præterea multa nova ab aliis detecta fama accepisset, librum *de re Anatomica*, succincte conscriptum an. 1559. evulgavit; magnam partem ex Vesalio haustum, quem tamen, nisi ut reprehendat, vix commemorat unquam. Propria quædam hic reperies: sed alia innumera nova ab ipso proponuntur, qualia sunt de officulo auris stapede dicto, de musculis ad oculum pertinentibus, aliisque de nervo pathetico, &c.; quæ tamen utplurimum adeo depravata invenies, ut ex te ipso facile suspicaturus sis illum ex aliorum inventorum fama admonitum ea quæsivisse, sed, quum, teste Carcano, male secaret, pro parte tantum assecutum (k). Cujus generis furti erga se perpetrati non semel illum, ejusque discipulum Valverdam insimulat Falloppius (l): cum tamen illi, Patavio procul, sed Romæ, degenti, opportunius, longeque facilius fuerit Eustachiana addiscere inventa. Quantum vero ad viri eruditionem attinet, Carcanus ex ejus literarum inscitia factum esse affirmat „ ut opus quod vernacula lingua compilaverat, ab aliquo uti ipsi videtur „ ex phrasi, genereque dicendi, fuerit translatum „. Quod & nos, quicquid aliter sentire videatur optimus Douglassius (m), iisdem, quibus Carcanus, ducti rationibus, & frequenti verborum obscuritate, percipere nobis ipsis videmur.

11. Quibus præmissis, vix opus est, eodem anno 1559. promulgatum commemorare Joannis Valverdæ Hamusceni librum anatomicum, vernacula sua Hispanica conscriptum dialecto; quo Anatomen in patriam propagare studuit. Obque hoc solum laude dignus; cum totus Columbo inniteretur. Ille quippe teste Vesalio, „ manus sectioni „ nunquam adhibuit; & medicinæ, uti & primarum disciplinarum, erat ignarus; & „ in Hispanam linguam interpretis tantum in nostra hac arte munus, turpis quæstus

 causa

(a) Columb. anat. 1. 5. p. 44. 1. 19. 112.
(b) H. C. F. 1. 13. ed. 1.
(c) Vid. Ep. de chyn. p. 662.
(d) Exam. Obs. Fall. p. 790.
(e) Chir. Mag. 2. 2. p. 948.
(f) Vid. Riolan. ibid.
(g) Ibid.
(h) Columb. ibid. Vide & Vesal. ep. de chyn. p. 662.
(i) Columb. ibid. & 1. 17. v. 20. p. 255. 15. p. 483.
(k) Vid. Riolan. ibid.
(l) Obs. Anat. præf. p. 686. 698. 710. 712. 722. &c.
(m) Bibl. Anat. p. 39.

„ causa obivit „ (a) . Atque , si credimus Carcano , „ nihil vidit in Anatomicis , „ quia--lippus & lusciosus fuit , ideoque conspicilia naso semper habebat affixa . Deinde „ ipse nunquam secuit , sed tantum Columbo , qui male secabat , adstitit „ (b) .

12. Qui proxime sequitur, est Gabriel Falloppius Mutinensis , prægressis omnibus diligentia & arte anteferendus . Hic Vesalium ut suum in Anatomicis præceptorem passim celebrat , in hujus schola se versatum professus (c) ; quantum videre possum , non quod ejus auditor fuerit , (neuter quippe tale quidquam innuit , nisi semel extra proprium locum , tumque erga Falloppium satis injuriosus Vesalius (d) , „ sed quia ejus scripta „ diligenter legerit „ . Vir sane fuit divini ingenii , naturalium rerum indefessus indagator , ac dissectionis corporis humani imprimis studiosus . Unde Vidus Vidius (e) in Lyceo Pisano ejus collega senior, ipsum ut „ virum non minoris doctrinæ, quam in„ dustriæ ; atque tanquam Medici in animalium corporibus secandis undequaque dex„ terrimi ; atque ad prosequendas scalpello singulas particulas , quantumvis exiles , ma„ xime idonei , „ singulare concelebrat exemplar . Ille ergo , an. 1548. , Ferrariæ primum , deinde Pisis Anatomen docere cœpit ; brevi postea fama clarescens an. 1551. Patavium , novas illas omnium doctrinarum Athenas accersitus . Hicque loci in auditorum usum compilasse , nec postea multum curasse videtur , *Expositionem in librum Galeni de ossibus* ; *Institutiones Anatomicas* , aliosque tractatus varii argumenti post ipsius mortem evulgatos . Istæ Institutiones , quamvis egregia multa complectantur , & plurima nova historiæ corporis humani superaddita , mancæ tamen & rudes apparent , si cum limato *Observationum Anatomicarum* libello conferantur . Licet & illas , quantum dignoscere possumus , post annum 1553. conscriptas , declarat in ipsis occurrens palpebræ superioris longus musculus (f) eo anno ab ipso detectus (g) . Cum adhuc quid de nervis diceret , sibi satis non fuerit notum ; aliorum interim de ipsorum ductibus errores & oscitantiam satis percipiens (h) .

13. Quum autem in exercitationibus Anatomicis indefessus esset , plura in dies detexit, & tandem an. 1557. a Petro Manna Philosopho, ac Medico Cremonensi rogatus , aureum conscripsit *Observationum Anatomicarum* librum , anno demum 1561. luci datum ; qui sane innumeris novis inventis Anatomiæ magnam lucem intulit , & diem . Unde ingentem postea ab omnibus meruit laudem : ita sane , ut vel ejus æmulus Bartholomæus Eustachius ipsum ob singulares animi dotes se venerari , admirarique statim fuerit professus (i) , propterque insignem diligentiam passim commendaverit . Ejusque observandi , ea , quæ aliorum cognitionem effugerunt , singulare studium gravissimo Cratoni in primis placuit (k) . Hincque eas Observationes , tanquam ditissimum thesaurum , assiduæ anatomicorum lectioni strenue commendare non dubitarunt in profectorum monumentis versatissimi Riolanus (l) & Douglassius (m) . Et tale denique de hocce libro judicium ferunt harum rerum peroptimi judices , Vesalianorum operum nuperi editores,

(a) Exam. Obs. Fall. p. 790.
(b) Vid. Riolan. ibid.
(c) Vid. Fallop. ibid. p. 688. &c.
(d) Chir. Mag. l. c.
(e) Anatom. 1. 2. 5.
(f) Inst. Anat. p. 455.
(g) Obs. Anat. p. 710.
(h) Inst. Anat. l. c.
(i) De renib. 32. p. 83.
(k) Oper. Fallop. præf.
(l) Anthropogr. ibid.
(m) Bibl. Anat. p. 94.

tores, Boerhaavius & Albinus. „ Multa Falloppius hic Vesalianis nova inventa addidit, „ in plurimis correxit. Nimiam in carpendo Galeno procacitatem Vesalii accusavit; „ tamen in re ait Vesalium vera in Galenum scripsisse. Liber lectus cum Vesalii opere „ perfectam fere Anatomen exhibet, dum commentarii perpetui vice fungitur (a) „. Hæc illi. Et certe constat ipsum hasce Observationes ad aliorum historias, quarum absolutissimam Vesalianam merito reputavit, quasi appendicem, brevi oratione & curtis sententiis concinnasse: quæ nimirum complecteretur „ eorum aliquam partem, quibus „ carere artem Anatomicam, vel potius aliorum anatomicorum scripta observavit „. Quod tum temporis sufficere arbitrabatur, præcipue cum „ volumen Anatomicum molietur, in quo, inquit, Anatomen integram complectar, atque minutissima quæque „ ad hanc artem pertinentia. Illud erit quamplurimis figuris exornatum, quæ corpus „ humanum, & simias etiam, ut Galeni dogmata faciliora sint, exprimant. Neque hæ „ imagines solum ejusdem generis partes, ac similes inter se continebunt, sed etiam „ diversis ex classibus inter se complicatas, veluti in ipsomet corpore humano connectuntur, indicabunt (b) „. At ne tantum opus, tamque utile humano generi institutum vel inciperet, iniqua prohibuere fata. Sequenti enim anno, 1562. maximo rerum medicarum detrimento, ipsum nobis præripuit immatura mors, cum annum vix trigesimum nonum exegisset (c), sicque nec suo earum observationum *Examini*, exeunte anno

(a) Oper. Vesal. præf.

(b) Obs. Anat. p. 688.

(c) *Objurgantes multos audio, quod vanus intempestivam lugeam mortem Falloppii, quem annorom 73. longa serie, jam satis maturum senem, diem suum obiisse, apud* Lindenium Renovatum p. 311. *&* *Douglassium in* Bibliograph. Anat. p. 95. *ex Thomasini auctoritate inveniunt. Ast ego fidere malui probatissimo istius ævi historico Thuano, histor. 34. 3. p. 325. & Maphæo alterius Falloppii operum tomi editori, vel ejus monumentum in templo D. Antonii Majoris extructum commemoranti. Quorum uterque brevem deplorat Falloppii ætatem & præmaturam mortem. Secundum quorum quippe rationes illum nasci oportuit an. 1523.; id est 33. annis serius quam in Thomasini computo, Et certe Joan. Crato, secundum Adamum Germanorum Medicorum Biographum, p. 261. anno 1519. natus, in operum Falloppii editionis Francofurtensis præfatione, tradit se studiorum socium habuisse Falloppium, præceptore usum Jo. Bapt. Montano, quem anno tantum 1498. natum fert Lindenius p. 532. Atque sic, cum Thomasino ejusque assectis, haudquaquam judicabimus, Falloppium, hominem diligentissimum, acerrimo præditum ingenio, omnique medica scientia instructissimum, in isto ævo bonorum medicorum non nimis ferace, ad annum usque ætaeis suæ quasi 59. latuisse, quo Fesrariæ atque Pisis Anatpmen docere cœpit, brevi postea ex tum tantum temporis clara sua fama ipsum Patavium evocandus. Quanto concinnius istud convenit erudito, solerti, & diligentissimo juveni annos quasi 25. nato? Ante quod tempus, nempe an. 1548. nullas suas commemorat peractas sectiones; quanquam vetustiorum suarum observationum ipsi passim satis grata videatur memoria. Quorum in confirmationem addas potiora ejus anatomica inventa in Institutionibus Anatomicis non occurrentia, quæ tamen in Observationibus prostant, post annum 1553. ex artis majore usu comparata fuisse: quod de juvene trigenario, quam de plusquam sexagenario sene climactericum jam prætergresso, commodius dici poterit. Accedit, illum suas scribentem, imo & edentem Observationes, grande opus moliri anatomicum, etiam Vesaliana historia, quam tanti faciebat, auctius atque perfectius. Anne putas senem annos natum 71. (quod sequeretur ex Thomasini rationibus), tale, tantumque, tamque difficile opus, ne vel adhuc inceptum, (veluti patet ex ejus posthumis & imperfectis operibus summa*

anno 1561. conſcripto, ſed 1564. miſerabilis ſui obitus anno tantum edito, ullum tulit reſponſum Veſalius, erroribus ſuis nimis pertinaciter ſæpe adhærens; non pauca tamen nova, & ingenioſa illic commentatus, multis licet impeditus incommodis, Matriti aulicam agens vitam (a). Quo tempore, cum otii impatiens eſſet, *Magnam Chirurgiam*, poſtumum opus, compilavit.

14. Interea autem, anno 1562. Franciſcus Puteus, Medicus Vercellenſis, *Apologiam pro Galeno in Anatome* inſtituit, nihil veræ Anatomes redolentem, aſt contumeliis & inanibus diſceptatiunculis refertam; „ Ambages longæ, longaque injuria „. De quo Auctore tuto dicere certe liceat, ipſum, parum in diſſectionibus valentem, corporis humani ſectionem vix unquam adminiſtraſſe. Unde facile fuit Veſalio reſponſionem opponere, quæ 1563. facta fuit, & 1564. edita, ſub nomine *Gabrielis Cunei Mediolanenſis*, qui Mediolani, & Ticini Anatomica docuit. Quam tamen reſponſionem ipſum adornaſſe Veſalium nos certiores reddit Cardanus (b). Id (ſunt verba editorum Veſalii) (c) „ ſtylus & orthographia Veſalio ſingularis. Sed imprimis ſe prodit „ tectus alieno nomine verus ſcriptor, qnando memorat, ſe in bello Medicum exami„ naſſe multa Germanorum & Helvetiorum corpora. Id vere in caſtrenſem Cæſariani „ exercitus Medicum, (Veſalium, ſcil.) (d), vix in Cuneum cadit „. Cui addas conſiderationi, hujus Examinis auctorem paſſim commemorare Veſalii contra Falloppii obſervationes librum, non ante annum 1564. in lucem emiſſum; cujus ergo uſura frui nequivit Cuneus.

15. Atque jam poſtremo in loco exſurgit tandem ipſe princeps Bartholomæus Euſtachius Sanctoſeverinas, Medicus ac Philoſophus Romanns, tantum aliis præcellens Anatomicis, & Veſalii æmulis, quantum ipſa Roma alias inter caput extulit urbes. Hujus viri, literas humaniores eruditiſſimi, quod ad eximiam variarum linguarum peritiam attinet, cum Græci ſermonis doctiſſimum ſatis prædicent Latina interpretatio & Annotationes ad Erotianum ab ipſo jam editæ (e); de arabica Lingua eidem non cognita ſolum, ſed maxime familiari, certe contenti erimus locupletiſſimo teſtimonio celeberrimi Amati Luſitani (f) illi æqualis, qui cum Avicennæ opera ut de Arabico in Latinum melius transferrentur, optaret, unum per univerſam Italiam Euſtachium ad eam rem præ cæteris idoneum ſe noſſe confeſſus eſt. Hic vero doctiſſimus vir non nudas ſterileſve excoluit literas: ſed medicinam apud Urbini Ducem, ac poſtmodum apud Romanos proceres ad ſenectutem uſque, ſumma cum nominis celebritate, fecit: ſimul in gymnaſio Romano Anatomen publice profeſſus (g). Idque tanto quidem famæ ſplendore, ut hac etiam de cauſa nomen ejus, antequam quidquam protuliſſent Italici Veſalii correctores, ad *Gades* uſque penetraſſe fidem faciat idem Amatus in *Curat. Medicinal.*

ſumma anxietate conquiſitis. & in lucem editis) aggredi auſurum, aut perficere ſperaturum fuiſſe? Quanto melius & aptius tale operoſum conſilium competeret viro annos nato 38., *ingenio, viribus, & valetudine præſtanti? Litem dirimit ipſum epitaphium monumento Falloppii inſcriptum Thuano omnino conſentiens; quod inter alia hujus generis curioſa jam tandem video apud Nath. Chytræum in* Itiner. delic. *p.* 151.

(a) Exam. Obſ. Fallop. p. 830.
(b) Vita Propr. 48.
(c) Præf.
(d) Ibid.
(e) Vid. lanciſ. not. in Euſt. præf. p. 7.
(f) Curat. Med. 1. 1.
(g) Euſtach. de ren. 16. p. 44. Aod. Org. p. 131. Ex Oſſ. p. 143. 144. 148. 1779. Mot. Cap. p. 236.

dicinal. cent. V. circa an. 1556. collecta : qui nempe magnam suam declarat expectationem de illius „ docto & eleganti libro de Anatomia brevi in lucem futuro (a) „ . Quin & Juntas celebres illos typographos Venetos in edendo Galeno, ipsius consecutos opem, comprobat marginalis quædam ad ipsorum Galenum nota, Bartholomæum Eustachium commemorans, ut „ egregium Medicum, ac rei Anatomicæ professorem insignem (b) „ Cumque an. 1562. Illustrissimi Ducis Terrænovæ in Sicilia difficilis casus, a Jo. Philippo Ingrassia conscriptus, ad medicos deferretur Romanos, totius orbis tum celeberrimos habitos, Bartholomæus noster horum inter primos judicatus est : quem etiam Ingrassias omnium doctissimum prædicat, & solum cæteris cunctis unitis peritiorem (c). Neque mirum eum tantam in Anatome, & Medicina famam acquisivisse : cum, præter eximiam ejus omnium rerum medicarum doctrinam, & vulgares anatomicas administrationes, quibus adeo inclaruit ; etiam tanto flagraret desiderio morborum naturas atque sedes in corpore nostro dignoscendi, ut morbidorum cadaverum diligentiorem explorationem (quam hujus studiosissimus Theophilus Bonetus *Anatomiam* appellavit *Practicam*) præcipuus instituerit, quamvis jam senex, & inceptum utilissimum sibique jucundissimum opus ob varia incommoda exsequi amplius non potuerit (d). Quem tamen, præstantissimus in Anatome, atque in omni re medica, M. Aurelius Severinus tanta cum laude meminit, ut asserere non dubitaverit, se compertum habere, „ ab hoc primum homine fluxisse morem in urbis nosocomiis dissecandorum cadaverum „ morbidorum (e) „ Cæterum neque dissimulandum, ipsum Vesalium, qui in Anatome fere nihil prorsus intactum reliquit, præter magnam suam corporis humani affabre compositi historiam, ante omnes aliud tentasse & pollicitum fuisse opus, quo cadaverum dissectiones ad morborum cognitionem totiusque artis medicæ tractationem apprime idoneas describeret (f). Quod vel regum thesauris præferendum, in Hispania latere suspicatur, harum rerum curiosissimus, Joannes Schenckius (g). Et tale magni Harveii opus deperditum fuisse merito deplorat Bartholinus (h).

16. Eustachius itaque, ipso indicante (i), veterum scriptorum semper studiosus, summos & vere principes in re medica viros, Hippocratem, & Galenum, sibi imprimis imitandos delegit ; in infinitorum pene hominum, aliorumque animalium corporibus dissecandis, multos annos diligentissime versatus. Quæque in hac veri inquirendi ratione a se reperta sunt, ac summo studio observata, cum his, quæ veteres olim, & sui etiam ævi Anatomici scripta reliquere, socio laborum adhibito Petro Mathæo Pino Urbinate, accuratissime contulit. In quo studio constructæ sunt suæ *Anatomicæ Tabulæ* an. 1552., ære incisæ, atque liber de *dissensionibus ac controversiis anatomicis* (k). Quorum omnium tempestivam editionem prohibuere auctoris ingravescens ætas, & vehementissimi articulorum dolores, atque (proh dolor, atque pudor !) fortunarum imbecillitas. Hic utcumque talis tantusque vir tandem an. 1563. omnium plausu in scenam prodiit, in lucem data quasi suorum operum & studiorum promulside, *de renibus*, *de auditus organis*, *de ossibus*, *& motu capitis*, *de vena azyga*, *& vena communi profunda brachii*,

(a) Cur. 70.
(b) Adm. Anat. 2. 8.
(c) Duc. Terræno cas. p. 5. 47. 61. 73. 74.
(d) De ren. 45. p. 119.
(e) Vid. Lancis. ib. p. 13.
(f) H. C. F. 1. 5. 5. 9.
(g) Obs. Medic. præf.
(h) Epist. Med. 4. 93. p.
(i) Opusc. præf.
(k) De renib. 16. p. 44.

brachii, *atque tractatu de dentibus*; adjectis quibusdam *tabellis*, quæ figuras aliquas ex magnis suis tabulis anatomicis mutuatas, cum quarundam harum correctione & supplemento, exhibent. In quibus *opusculis*, veritati, veterumque scriptis lucem afferre, & recentiorum, præsertim Vesalii, errores detegere, amborumque controversias pro virili componere profitetur (a).

17. Cum autem insequente anno suum *Erotianum* edens (b), nonnullos (Vesalium subindicans) hisce, quæ *de renibus &c.* publicaverat, vehementer audivisset commotos fuisse; hinc operæ pretium se facturum arbitratus est eorundem expectare responsiones, antequam reliquas suas observationes plane absolutas, & inventiones jam pridem æri incisas, quasque prioribus non dubitat fore utiliores, in lucem ederet; ne novas subinde appendices suis adjungere scriptis cogeretur (c). „ Durum Vesalius nactus „ fuisset adversarium, si, eo superstite, Eustachius librum de consensu & dissensu Ana„ tomicorum ad suas tabulas conscriptum evulgasset „. Id fatentibus vel ipsius Vesalii nuperis editoribus (d). At nunquam ille Galeni patronus voti sui fuit compos. Eodem etenim anno 1564. fato cessit Vesalius. Nec ipse Eustachius, brevi tantum superstes, institutum absolvere potuit. Unde Eustachiana omnia in discipuli sui, ac laborum socii Pini devenere manus: qui, longo tempore ab interitu magistri sui, maximum detrimentum artis medicæ deplorans, promittit (e), „ se in lucem, Deo favente, daturum „ tabulas illius Anatomicas, quas multis ab illinc annis ære incisas habebat „. Neque hic promissum absolvit, nescio quó malo fato impeditus.

18. Eustachii vero pauca, quæ ipsæ edidit, *Anatomica Opuscula*, tantum placuere præstantissimis in arte viris, iisque qui maxime judicio valuere, ut optimis confectoribus semper adnumeraretur; utque severo Anatomicorum censori Riolano (f) „ dulce „ desiderium totius Anatomes sic explicatæ reliquerit: — quam si perfecisset, labores „ Vesalii & Falloppii longe superasset, & aliis occasionem aliquid simile parturiendi præ„ ripuisset „. Vir quippe fuit, judice Hoffmanno (g) ad stuporem usque diligens, laboriosissimus & ingeniosissimus. Ut ludibrio plane se exponat, in Mechanica, quam anatomia corporis humani magis exercitatus Borellus; dum, in sua pro Malpighio *Apologia* (h) Eustachium prædicat tanquam auctorem obscurum, & exiguæ apud celeberrimos Anatomicos æstimationis. Quanto rectius & melius de illo sensit splendidum illud Anatomicorum lumen ipse Malpighius? quem utique non semel dictitantem audivit Lancisius (i) „ Eustachium, si non tantum cultro, sed etiam microscopio, & liquorum „ injectione, (qua in solis renibus usus fuit), structuras cæterorum vasorum ac visce„ rum fuisset rimatus, omnes procul dubio posteros a pertractanda Anatome fuisse de„ territurum „. Unde nil mirum, illum, quum ex editis opusculis tam magnificam concepisset Eustachii ideam, de reliquis ejus operibus anxie quæsivisse: atque ex eruditioribus civitatis Sancti Severini, Eustachii patriæ, per epistolas percunctatum, an ex miserando naufragio operum illustris hujus scriptoris *Tabulæ* saltem *Anatomicæ* servatæ fuissent;

(a) De renib. 1. p. 2.
(b) In Erotian. præfat. an. 1564. edit. an. 1566.
(c) Vid. Opusc. præf. & dedic. In Erotian. præf. & annot. p. 60. de Mult. 15. p. 135.
(d) Oper. Vesal. præf.
(e) Ind. Hippocr. præf. an. 1597.
(f) Anthropogr. 1. 6.
(g) Apolog. Galen. 2. 65. 142.
(h) Vid. Malpigh. oper. posth. p. 4. 5. 7.
(i) Tabul. Eust. præf. p. 10.

fuiſſent; ſed nihil certi ea de re comperire potuit (a). Atque Boerhaavius, denique, judicio & auctoritate maxima pollens, atque in medicorum monumentis ſupra omnes verſatus, tantum delectabatur opuſculorum tabellis, ut ardentiſſima ſua vota, & præclarum vaticinium de Anatomicis tabulis edendis, hacce magnifica proclamaret oratione (b). „ Utinam — excitarentur qui Tabulas poſſident Anatomicas; quas ſe — edendo paratas habuiſſe, fide digniſſimus Auctor ſcripſit. Has profecto qui in lucem edet, devinctiſſimos ſibi habebit tanti viri manes! ſimulque obſtrictum literatum orbem! Poſtquam enim auctoris in pingendo innotuit methodus, increvit incredibili augmento deſiderium videndi opus, cui non aliud par extare, ſi ex ungue leonem, crediderim „.

19. Tanta ergo, tamque merita auctoris commendatione, ab extero homine candide & ſine fuco prolata, ipſiuſque rei gravitate, vere & ſerio excitati fuerunt Italici medici. Ita quidem ut doctiſſimus Dominicus Gulielminus (c), in Patavino Lyceo medicinæ profeſſor, ſæpe a Jo. Maria Lanciſio intimo Cubiculario & Archiatro Pontificio per literas flagitaverit, ut ad tamdiu deſideratas tabulas conquirendas omnem adhiberet diligentiam. Id ab Lanciſio, rerum omnium bonarum ſtudioſiſſimo viro, fruſtra tentatum Romæ (d). Nec melior ei obtigit ſucceſſus Sancti Severini, quam prius contigerat Malpighio (e). Unde tandem de Pino Urbinate eas poſt Euſtachii obitum editioni paratas poſſidente cogitatum (f). „ Quam igitur rerum ſeriem ad Sanctiſſimum Principem Clementem XI. Romanum Pontificem, literarum, artiumque inſtaurandarum, & augendarum ſtudioſiſſimum, detulit Lanciſius. Pontifex vero, cum Pinum nobili gente Urbini natum probe ſciret, confeſtim ſumma illa, qua maximopere valuit, mentis perſpicacitate conjecit apud familiam Rubeorum, itidem nobilem Urbinatem, optatas latere tabulas, cum ex Pinis nullus virilis ſobolis, ſola vero muliebris ſtirpis Lavinia de Antaldis, quæ nupſit Franciſco de Rubeis, hodie ſuperſit. Neque Beatiſſimum Patrem conjectura fefellit. Nam, eodem mandante, in quibuſdam ſtudioſiſſimi Pini capſis inventæ ſunt omnes — apud humaniſſimum virum D. Paulum Andream de Rubeis (g) unum ex Pinorum hæredibus, ac Metropolitanæ Urbini eccleſiæ canonicum „. Tantum prodeſſe potuit Anatomiæ, ſeveriſſimæ illi ſcientiæ, Pontificis in rebus genealogicis peritia! Hunc ergo in modum an. 1712. in gentis humanæ commodum, atque rei medicæ decus, & ſummum emolumentum, *Euſtachii Tabulæ Anatomicæ*, poſtquam ſeſquiſeculum & amplius jam delituerant, in lucem erutæ ſunt. Quas anno dein 1714., *præfatione*, *notiſque illuſtratas*, publici juris fecit ampliſſimus Lanciſius; in laboris ſocietatem vocato Antonio Pacchiono Medico Romano, & in rebus potiſſimum Anatomicis apprime verſato; in partem quoque diligentiæ, curæque accito Franciſco Soldato, juvene medicis ſtudiis, cadaverumque ſectionibus magnopere exercito; in conſilium quoque per epiſtolas admiſſis Joanne Fantono, & Jo. Baptiſta Morgagno, noſtræ ætatis in Italia experientiſſimis Anatomicis (h).

20. Quum autem, vel omnibus iſtis magnis viris opem ferentibus, celſiſſimus

g Lanci-

(a) Vid. Lanciſ. ibid. dedic. p. 5.
(b) Opuſc. Euſtach. præf. 1707.
(c) Lanciſ. ibid. præf. p. 8. Vide & Gulielmini oper. 2. p. 455. 456.
(d) Ibid. (e) Ibid. Dedic. p. 5.
(f) Ibid. præf. p. 9.
(g) Lanciſ. ibid. p. 14.
(h) Ibid.

Lancisius, affecta vir ætate ac valetudine, amplissimi sui officii curis, amicorum literis aliisque occupationibus semper foret distentissimus; (a) hinc non usque adeo mirum est illum tam multis impeditum incommodis, in tanta temporis angustia notas suas concinnantem, votis nostris in nudis tabulis explicandis non potuisse satisfacere. Plurimæ quippe, eæque pulcherrimæ res plane omittuntur; non pauca male enarrata, & innumeras denique hallucinationes singulis fere paginis offendimus. Quorum omnium particularem notationem, ut re inutilem, & erga tantum virnm, alioquin de omnibus bonis optime meritum, invidiosam, in sequentibus supprimendam censemus; ejus interim potiora grati passim afferentes. „ Est enim benignum (ut arbitror) & plenum „ ingenui pudoris, fateri per quos profeceris (b) „. Neque historiam Anatomicam Eustachiani ævi, cui illustrandæ præsens destinatur disquisitio, satis attendit, ut auctoris scopum quiverit assequi, aut ejus inventa cum aliorum repertis rite conferre.

21. Quibus ergo rebus, & momento gravissimis, & omni attentione dignis, cum memet diligentius applicarem, ingentem cepi voluptatem, si quando in pulcherrimarum quadam Eustachii iconum, ipsius auctoris, egregium aliquid semper meditantis, perciperem institutum. Ita ut tandem ex diligenti lectione Vesalii, aliorumque isto ævo florentium rei Anatomicæ cultorum, horumque cum Galeni placitis comparatione, Eustachii fere in omnibus scopum me assecutum fuisse mihi visus sum; *Galeni*, nempe *studiosam defensionem*, *acerbam Vesalii correctionem*, *veræque Anatomes culturam atque perfectionem*. Quæ auctoris fuisse studia indicat, præter generalem etiam editorum opusculorum scopum, tum fragmentum libri de *dissensionibus & controversiis Anatomicis* iis insertum, *de vena sine pari*, atque *communi profunda brachii*; tum denique Pini carmen (c), quo præceptor ejus Bartholomæus in primis laudatur, quod procacem fastum & dicta impudentis refellerit Vesalii. Sed super omnia in primis adnotabis, quod ea quæ a Vesalio recte & prorsus secundum naturam delineata judicavit, in ipsius tabulis vix, vel perfunctorie tantum exhibita reperies, vel saltem quatenus cum aliis partibus necessario delineandis connectuntur: ita nimirum ut raro proponat figuram, in qua Vesalii correctionem vel supplementum non moliatur.

22. Quum vero tale fuerit Eustachii institutum, nil mirum si aliqua cum Columbo, de quo antea (d) dictum, atque longe plura cum Falloppio, apud ipsum invenias communia. Neque tamen hinc vel nostrum ex Falloppio, vel hunc ex Eustachio sua suffuratum fuisse, aut compilasse confestim judicabis: saltem si de rebus a nostro tempore longe remotis & vetustate obscuris, de quibus paucissima supersunt monumenta, ex probabilioribus circumstantiis velis decernere. Falloppius quum suas scripsisset & edidisset *Observationes*, antequam quidpiam Eustachii in lucem prodierat, est undique tutus: quem nec ullius furti postulavit vel ipse Eustachius. Neque enim hujus in exploratorum conductores accusatio (e), in Falloppium, quem ob singulares animi dotes venerabatur (f), ab auctore facta fuit, aut ab aliis, vel oblique, intentari debet. Morgagni (g) officiosa animadversio in Falloppium, quasi Eustachiana inventa per illorum

(a) Vid. Morgagn. adv. anat. 3. p. 94. & Ep. Anat. 1. §. 8. 76.
(b) Plin. hist. nat.
(c) Vid. Lancis. ibid. p. 39.
(d) Vide supra §. 10.
(e) Ven. Azig. 11. p. 267.
(f) De renib. 32. p. 83.
(g) Ep. ad Lancis. p. 20.

rum sermones aut scripta addiscentem, consuetam hujus candidi cautissimique viri haud redolet circumspectionem. Constans & ubique obvius Falloppii candor tale quidquam de ipso vel suspicari prohibet; præsertim quum ipse, nullo dictante, nec labore levi, sua se deprehendisse testetur (a).

23. Ex altera parte, nec Eustachium, serius quamvis comparentem, suas observationes, & tabulas ex Falloppii concinnasse libro plurima commonstrant. Anatomes Professor in Romano Lyceo multos per annos publice docuit, plurimas Galeni defensiones proposuit, novasque suas propalavit inventiones (b). Atque ante luci data *Opuscula*, jam pridem eas editioni paratas habuisse, imo *tabulas* an. 1552. æri fuisse incisas, ipse nos certiores reddit veri studiosissimus auctor (c); sed suorum operum tempestivam editionem, qua suspiciones quaslibet a se procul amovere potuisset, infaustæ quædam prohibuere optimi viri conditiones.

Eum (d) insuper videmus sua edentem *opuscula*, decrepitum arthriticum senem, labores & nova studia, utcunque utilia, & sibi jucunda, sed sero nimis incepta, refugientem: sicque *tabularum* systemati in singularem finem constructo, mutando, corrigendo, ac multo magis ex alterius observationibus, longo labore, & per innumeras cadaverum sectiones comprobandis, de novo delineando satis ineptum.

Neque huic obstat considerationi, quod eodem tempore utiliora adhuc promittere non dubitaverit (e): quodque sequenti anno *Annotationes in Erotianum* & libellum de *multitudine* ediderit; alium insuper pollicitus (f) propediem se editurum *de ratione exhauriendi sanguinis*. Nullus, credo, suspicabitur *illa utiliora*, hosque libros a se jam tantum anni vel biennii spatio confectos aut apparatos. Quin verisimilius est, virum, sua semper quam politissima & maxime perfecta exoptantem, omnia a longo tempore conscripta habuisse, nonumque pressa in annum: atque tum tandem opuscula (ut videremus quid valeret in Anatomicis), & memoratos libros, autumnali suæ vitæ tempore, opera Pini adjutum, evulgasse; aliaque in lucem emittere pollicitum (g).

Neque ex eo quod erroneis Falloppii sententiis interdum occurrat, aut eum alias commemoret, confestim concludas ipsum non olim sua scripsisse, sed recenter omnia ex illo compilasse. An non auctoribus sollemne est libros vel commentarios jam scriptos, donec in scriniis lateant, ulterius semper perpolire; atque in opera quæcunque ab aliis edita liberis animadversionibus insertis, vel alio quocunque modo ditare? Quod vel ipsum vides fecisse candidissimum Falloppium. Cum etenim dicat se, Petro Manna impulsore, suas *observationes* jam an. 1557. conscripsisse: iniquum ne tamen judicares hinc ut expilatorem vel plagiarium ipsum arguere, quod Valverdæ sæpe commemoret librum, & non obscure Columbi impugnet sententias; qui tamen ambo non ante integrum peractum biennium posthac apparuere?

24. Quin imo nec Eustachii similitudo aliqua, atque in quibusdam convenientia cum Falloppii observationibus, me ullatenus movent, ut existimem vel illum ex hoc, vel hunc ex illo omnia corrasisse. Quum scilicet videam ambos secandi peritissimos, doctis-

(a) Obs. Anat. p. 758.
(b) Vid. citata ad §. 15.
(c) Vid. citata ad §. 16.
(d) De renib. 14. p. 119.
(e) Opusc. præf. & dedic.
(f) De multitud. 34. p. 151.
(g) In Erotian. ded.

doctiſſimoſque ſimul Anatomicos , eodem tempore florentes , uno fere & eodem conſilio agitari : nempe ut , poſt Galeni , & Veſalii labores , quod in Anatomicis ignotum , aut male traditum adhuc reſtaret , accurate perficerent ; ac præcipue ut horum maximorum virorum errata ex brutorum ſectione manantia , per humanorum cadaverum inſpectionem patefacerent : cum hacce interim differentia , quod , ubicunque veritas ipſa pateretur , Falloppius , mitis ingenii & mediæ ætatis vir magis Veſalio faveat , hujus diſcipulum , & omnia illi ſe debuiſſe paſſim profeſſus : Euſtachius contra Galeni partibus magis , imo ſæpe mordicus & plus ſatis , adhæreat ; veniam certe quandam jure poſcente dogmatici ac nimium loquacis ſenii leviore aliqua culpa in jam miſere arthritico , & propterea nil mirum protervo Euſtachio , atque injurias ſoli ſuo , atque communi omnium præceptori , Galeno oblatas ægre ferente . Quibus horum conditionibus , ſimulque omnibus , quæ ex iis neceſſario ſequerentur , ſepoſitis , in utroque inſignem perſæpe invenimus concordiam : utque , quod Falloppius in *Obſervationibus* , id Euſtachius in *Tabulis* , & veriſimiliter longe uberius in ſuis *Diſſenſionibus Anatomicis* , ſi ex dato ſpecimine judicare liceat , fuerit conſecutus ; Veſalii nempe correctionem atque ſupplementum . Sicque quod Falloppius molitus eſt , nec tamen inchoare , nedum perficere potuit , *Imagines* , ſcilicet *Anatomicas* , quæ non ſolum ejuſdem generis partes ac ſimiles continerent , ſed etiam diverſis ex claſſibus inter ſe ſimul complicatas indicarent , tales , inquam , nobili conſilio jam abſolviſſe Euſtachium percipimus .

25. Ex quibus omnibus attente conſideratis , quanquam Euſtachii *tabulæ* ſæpe Falloppiano textui illuſtrando inſervire poſſint ; atque viciſſim hic non ſpernendam , imo accomodatiſſimam aliquando præbere queat figuris Euſtachianis explicationem , ut in ſequentibus haud raro patebit : attamen nõ tantam tamque integram video convenientiam , ut hinc concludere poſſim horum alterum ex altero fuiſſe plagiarium aut compilatorem . Quin contra , potius ex frequentiſſima diſcrepantia , atque innumeris rebus uni propriis ab altero prorſus intactis , aliiſque enarratis circumſtantiis , non benevolentia tantum , ſed ipſa rerum probabilitas dictitat , non ab unico prorſus genio infinita belliſſima amborum inventa profluere potuiſſe ; ſed Falloppium , ex diligenti ſectione cadaverum cum mira qua pollebat dexteritate , ac judicio , quo vulgaribus conſectoribus longe præcelluit , proprio marte ſuas concinnaſſe *Obſervationes* : ac ſimul Euſtachium , facultate rite & ſuſpenſa manu ſecandi præditum , ac etiam faciendi ut inciſæ partes accurate ſecundum ipſam naturam , & diſtincta delineatione oculis noſtris ſubiiciantur , omnes , quotquot unquam fuere , Anatomicos longe ſuperantem , nullo dictante , ex naturæ libro ſuas traxiſſe *Tabulas* , multoque antequam ſua ſcripſit Falloppius , condidiſſe .

26. Cæterum hæc concluſio ex ſingularum tabularum examinatione melius apparebit . *Atque auctoris ſcopo illuſtrando* ; *quantum cum Falloppio aliiſque collimet* , *quantumve ſubſequentes præoccupaverit auctores* ; *&* *quantum denique utiliſſimis ſuis inventis ipſam ditaverit Anatomen explicando* ; *atque hiſtoriæ etiam Anatomicæ aliqua ſaltem ex parte amplificandæ* , ſequentia deſtinantur commentaria , ſine omni partium ſtudio (quod jam præſertim hoc noſtro tempore foret ridiculum , quorumque cauſas cum Tacito (a) procul habeo) compilata ; cunctis ſimul , quæ alii apte dixerint ad illuſtran-

(a) Annal. 1. 1.

ſtrandum noſtrum auctorem, huc quoque transductis. In quibus rebus, tum natura ſua graviſſimis, tum exercitatione maxime jucundis, & tuis obedientem juſſis, mihi ſemper cum reverentia capeſſendis, & mei ipſius impulſum genio, haud pœnitet quandam impendiſſe operam. Uſque dum alius aliquis tanto operi vere aptus illi ſeſe accingat muneri: vel, quod mallem, ipſius Euſtachii *diſſenſiones & controverſiæ Anatomicæ* e tenebris aliquando, ut ſpero, vindicandæ, *tabulas* ſuas, totamque artem Anatomicam ſplendide illuſtrent.

DE EVSTACHII TABVLARVM ICONVMQVE ORDINE.

„ UT omnium artium tractandarum „, (inquit Riolanus (a) „ ſic docendæ Anatomes duplex methodus: una quidem Analytica, quæ a toto ejuſque compoſitis „ partibus, ad partes minus compoſitas delabitur, donec pervenerit ad ſimpliciſſimas: „ eaque obſervatur in theatris publiciſque conſectionibus, ubi totius corporis diviſio „ fit in tres ventres & artus; uniti tum corporis ac ſingularum partium particulæ in„ veſtigantur, & proponuntur. — Altera methodus, Synthetica, orditur a ſimpliciſſi„ mis partibus, & ad compoſitas progreditur, donec totius conſtructionem aſſequuta, „ rem ad umbilicum perduxerit. Quam componentem methodum proſecutus Veſalius „ (b): Primo quidem libro omnium oſſium cartilaginumque naturam enarravit, quæ „ quod illis reliquæ partes ſuffulciantur, & ſecundum hæc deſcribantur ab Anatomes „ ſtudioſis, primum cognoſcenda veniunt. Secundus liber ligamenta, quorum bene„ ficio oſſa cartilagineſque invicem connectuntur, & dein muſculos, motus e noſtro „ arbitratu pendentis opifices, commemorat. Tertius venarum — & arteriarum quæ „ muſculis & oſſibus, cæteriſque particulis tribuuntur, frequentiſſimam ſeriem comple„ ctitur. Quartus nervorum propagines edocet. Quintus organorum nutritioni famu„ lantium conſtructionem tradit; ac inſuper inſtrumenta etiam continet ad ſpeciei ſuc„ ceſſionem fabricata. Sextus cordi reliquiſque in thorace contentis particulis dicatur. „ Septimus vero cerebri & ſenſus organorum armoniam proſequitur „. Hæc fere de ſuo ordine Veſalius, quem ut Galeni placitis conformem proponit: ita certe ut, ſyntheticam quaſi ſecutus methodum, humanum corpus integrum ex componentibus ſuis partibus conſtruxerit. At contra, Euſtachius, analytice magis procedens, integrum corpus in varias ejus partes reſolutum dedit, idque eo perfecit ordine, qui ſectioni omnium viſus eſt commodiſſimus. Primo ergo magnorum ventrium contenta explicuit, illos una tabula (Tab. IX.) ſimul complexus. Nam hæc Tab. IX. vere eſt prima Tabula; prioribus octo tabulis, quas in vulgari habemus ſerie, non ad magnum opus, ſed ad opuſcula duntaxat pertinentibus. Tumque eos ſingulatim examinans, atque ab infimo incipiens, optima ſectionis methodo (Tab. X. XI. XII. XIII. XIV.) ea proponit chylificationi generationique inſervientia organa, quæ in Veſalii quinto continentur libro. Poſt hæc (Tab. XV. XVI.) mediam exhibet cavitatem, cor complectentem & pulmones, ſive vitalia viſcera, quæ ſexto deſtinavit libro Veſalius. Tumque (Tab. XVII.) ſupremum aggrediens ventrem encephalum, ejuſque appendicem medullam ſpinæ, in ſuas refert tabulas. Quumque nervi horum ſint duntaxat productiones, hinc (Tab. XVIII. XIX.

(a) Anthropogr. I. 21.

(b) H. C. F. dedic.

XIX. XX. XXI. XXIII.) illi proxime ſequuntur. Quos ſtatim (Tab. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.) excipiunt vaſorum ſanguineorum ductus. In qua methodi parte, nec multum redarguentem, imo aſſentientem potius habuiſſet Euſtachius Veſalium. Hic quippe ſe ut Galeni nimis ſequacem in ſua eligenda methodo profitetur; ſimul faſſus (a) quod „ alius fortaſſe quispiam earum partium quæ peritonæo, & coſtas ſuccingente „ membrana, & calvaria continentur, deſcriptionem, non venarum modo & arteria- „ rum, verum & nervorum quoque deſcriptionem oportere neceſſario præcedere, haud „ inepte arbitrabitur: quod abſque earum partium notitia, omnis de venis, ar- „ teriis, & nervis ſermo tam difficilis futurus ſit, ut ego nequaquam improbaverim ter- „ tium librum de vaſis, & quartum qui nervis dedicabitur, quinto libro, ſexto ac „ ſeptimo ſubjici „. Quæ Veſalii verba, ad Euſtachii methodum ſaltem ex parte comprobandam, huc adducenda putavi. Nervis ergo ac vaſis abſolutis ad muſculos noſter venit Auctor, quos (Tab. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XLI. XLII.) per ſtrata ablatos, ut ſit, inverſo quamvis ordine, in ſplendidis illis quæ veræ Epitomæ Veſalianæ adjiciuntur tabulis, exhibere voluit: donec nudas laryngis cartilagines (Tab. XLII.), & nudum quaſi ſceleton (Tab. XLIII. XLIV. XLV.), & arida oſſa (Tab. XLVI. XLVII.) reliquit: quæ ſcilicet ultimum in locum conſervaverat; poſtremis muſculorum tabulis, unam (Tab. XL. de oculo ejuſque tunicis & humoribus, immediate nempe poſt ejus abſciſſos muſculos, interjiciens.

2. Ita ergo, ex utriuſque auctoris comparatione facta, patet quod in initio propoſui, Veſalii methodum ad ſyntheticam magis accedere, verum Euſtachio analyticam ſuo propoſito magis accomodam fuiſſe viſam: Utra potior ſit, nolim ego in præſenti determinare. Synthetica certe diſcentibus eſt commodior: unde plurimi probatiſſimi auctores, Veſalii methodum magna ex parte imitari voluerunt. Analytica vero ad corporum diſſectionem, ipſius naturæ quaſi librum, magis appropinquat: unde non deſunt clariſſimi pariter Anatomici, qui ventres, hiſque complexa viſcera, methodo Euſtachianæ non multum abſimili, conſideranda in ſuis libris putarunt.

3. Cum de tabularum Euſtachii ordine ſermo ſit, ſuſpicio mihi incidit, eas malo quodam caſu perturbatas, non omnes eodem plane ordine nobis proponi, quo forte voluit ipſe auctor. Sic nullum videtur dubium quin Tab. XXII. ſubcutanea repræſentans poſtica vaſa, Tab. XXIII. nervos pariter oſtendenti poſtponi debuit: atque ſic hæc reliquas nervorum tabulas immediate ſequeretur, illa cæteris vaſorum figuris cerneretur præmiſſa; neutiquam interturbato ordine, ut in præſenti ſit numeratione.

4. Imo ſi diceremus ſanguiferos ductus ſimili ac nervos ſerie proponi debere, eaque quidem maxime commoda ac naturali, a fonte nimirum & vaſorum truncis ad ramos ramorumque ramulos ad uſque extremam ſuperficiem: tum ſane Tab. XXV. omnium vaſorum ſanguineorum iconum primo in loco poneretur, illorum quippe exhibens fontem, initia & maximorum vaſorum a corde ductus; quam equidem ſequi debet Tab. XXVI. in qua, ſepoſitis multis, quæ in præcedente incumbebant particulis, plurima conſpiciuntur profundius ſita vaſa. Atque huic iconiſmo reſpondet, extimis denudata muſculis, averſa corporis facies in Tab. XXIV. repræſentata: qua pariter ibi conſpicien-

(a) H. C. F. 3. 1.

ſpiciendi exhibentur altius abſconditi ductus ſanguinei. Quam ergo exciperet Tab. XXII. proponens minora vaſa ex hiſce Tab. XXIV. majoribus vaſis per muſculos, muſculorumque interſtitia pullulantia, ad exteriora corporis tegumenta. Tuncque ultimo in loco adjiceretur, ut in præſenti fit notatione, Tab. XXVII. particularia nonnulla, quæ in prioribus vel conſpici vel inſeri non potuerunt, complectens. Cum vero, ex altera parte, dicere poſſit quiſpiam Euſtachium, poſt ſubcutaneos poſticos nervos Tab. XXIII., primo forte exhibere voluiſſe eorum conjuges ſanguiferos canales in Tab. XXII.: tumque, ſemotis ſubcutaneis muſculis, vaſa proponere prioribus originem præbentia per Tab. XXIV. delineata; atque poſtea, converſo corpore, magnos eorum truncos ramoſque in Tab. XXV. XXVI. propoſuiſſe: Cum inquam, hæc, qualiacunque ſint, pro Lanciſiano vaſorum ordine regeri queant; cumque pauca, eaque fere generalia, ad Tab. XXII. XXIV. dicenda nobis ſint: hinc, quantum ad vaſorum tabulas attinet, nihil in ipſarum ordine immutemus.

5. Atque præterea, neque contenderem cunctas muſculorum tabulas eadem plane, quam deſtinavit Euſtachius, in Lanciſiana ſerie diſponi. Quum ex attenta conſideratione veriſimilius ſit, illum primo anteriorem corporis faciem per ſtrata ad oſſa uſque denudatam, Veſaliano more in ejus magna Anatome, exhibere voluiſſe hocce ordine; Tab. XXX. XXVIII. XXXII. XXXV. XXXIII. XXXVIII.; atque tunc poſticorum muſculorum ſeriem totidem tabulis ſimili ordine expreſſiſſe in Tab. XXXI. XXIX. XXXIV. XXXVI. XXXVII. XXXIX.

Vel ſi mavis Euſtachio in animo fuiſſe unum ſemper totius corporis quaſi muſculorum ſtratum duabus proximis tabulis adſpectui proponere, methodo quaſi Veſalianæ Epitomes; tum dicendum foret, primo extimam muſculorum ſuperficiem delineari Tab. XXX. XXXI.; hac averſam, illa anteriorem corporis repræſentante faciem. Hinc quædam ſuperficiariæ incumbentes membranæ, & pauci aliqui exteriores muſculi auferuntur in ſecundo tabularum muſcularium pari, Tab. XXVIII. XXIX.. His ſuccedunt Tab. XXXII. XXXIV. Quas ſequi deberent, quæ adhuc profundiores oſtendunt muſculos, Tab. XXXV. XXXVI. Tum inſpicias Tab. XXXIII. XXXVII. Atque in tali ordine, ut in præſenti fit, agmen clauderent Tab. XXXVIII. XXXIX. Muſculorum ſtrata etiam lateraliter conſpecta proponit Couperus in pompoſa & eleganti ſua Myotomia poſtuma, optimo conſilio ab ampliſſimo Meadio in lucem data. Cum tamen nos non adeo methodicam tabularum conſiderationem, aut ipſarum proponimus indices, parum intereſt quo ordine eos muſculorum iconiſmos conſideremus.

6. Qualis tamen depravata numerorum notatio in quarundam tabularum minoribus figuris ſæpius apparet. Factum id an olim, anne potius ab editoribus figuras numero indefinitas male notantibus, aliis determinandum relinquo, rem ipſam animadvertiſſe contentus. Perturbatam tabularum methodum non recentem ſatis innuit Soldatus, eam a Pino invectam conjiciens (a). Iſtud vero nuper tantum factum, ſaltem ratione minorum iconum, hinc ſuſpicari liceat, quod ne vel priorum ſeptem ad opuſcula pertinentium tabellarum, etiam olim ab ipſo Euſtachio editarum, figuræ numeris adhuc notentur in editione Romana. Cum vero methodica iconum conſideratio & facilior ſit, & non contemnendi uſus in ipſarum accurata conſideratione, ipſis aliquam lucem inferens;

(a) Lanciſ. not. præf. p. 35.

rens, hinc maxime naturalem earum ordinem in cunctis hic simul proponendum duxi.

7. Sic Tab. X. fig. 2. notari debuit una; ea quæ una notatur, immediate ante tertiam posita.

8. In Tab. XII. fig. 1. & 3. omnibus aliis præmitti debuerunt, ut ordinariam & maxime consuetam urinæ & seminis organorum constructionem exhibentes. Quibus ex ordine succedere debent fig. 7. 9. 10. 12. 4. 11. ut extraordinaria quædam de renibus proponentes. Hasque excipiunt interjectæ testiculorum icones, in fig. 2. 5. 6. 8. comprehensæ.

9. In Tab. XV. post fig. 1. consideranda est. fig. 4. a priori hac tantum ratione differens, quod post remotos thymum, & membranas thoracem dividentes, atque elevatos pulmonum lobos, melius conspiciatur pericardium, cum quibusdam superioribus cordis vasorum truncis. Huic aperta cordis capsula, succedit fig. 2.. Cui, ablato pericardio ipsoque corde, immediate postponi debet fig. 5. Hinc a posteriore facie conspiciuntur pulmones &c. in fig. 3. Hancque excipit ultima fig. 6., qua semotis tegentibus membranis, delineantur omnia cordis vasa a postica facie conspicienda.

10. In Tab. XVII. post cerebrum, fig. 1. 3. 4. 5. 6. consideratum, proponi, credo, debet fig. 7. cerebelli repræsentans anteriorem faciem. Eamque sic exciperet fig. 2. idem ostendens cerebellum ab aversa parte conspectum; cum appensa spinali medulla &c.

11. Tab. XVIII. figuræ notandæ fuerunt hoc ordine: fig. 2. 1. 3. 4. 5.; vel fig. 1. 3. 4. 5. 2.

12. Tab. XXVII. fig. 1. optime repræsentat vasa hepatis. Huic succedunt fig. 2. 4. vasa exhibentes gastrica & meseraica. Tum fig. 3. aliquid proponit singulare de venis quibusdam mediastini. Hinc venarum jugularium, atque venæ pari carentis in fig. 5. 6. 7. variæ sequuntur constitutiones. His commode satis succedere poterunt fig. 10. 11. ex brutorum quamvis desumptæ corporibus. Jamque tempestive consideranda venit fig. 12. vasa examussim repræsentans mammaria & epigastrica. Tum aliqua habemus singularia de artuum vasis, fig. 8. 9. 14. 15. expressa. Post quæ omnium postremo in loco novum prorsus vasorum genus, pulmonalium nempe systema in fig. 13. venit commemorandum.

13. In Tab. XLI. iconismos hoc ordine primum exaratos fuisse putarem, fig. 1. 3. 5. 8. 11. 13. Quibus postmodum minores crederem interjectas figuras, quæ cum prædictis hac serie considerari possent., fig. 4. 2. 6. 7. 12. 14. 9. 10.

14. In Tab. XLII. laryngis musculi ostenduntur in fig. 1. 2. ex ipso humano corpore desumpti. Fig. 3. est ex Vesalio ipsam a bestia quadam perperam depingente. Fig. 4. 6. gulæ atque faucium exhibent musculos. Quibus delineatum fig. 5. succedit corpus humanæ linguæ. Reliquæ laryngis ostendunt cartilagines hoc considerandas ordine, fig. 9. 11. 7. 8. 10. 12.

15. In Tab. XLVI. variæ cranii figuræ in fig. 1. 3. 8. 10. 15. 17. comprehenduntur. Fig. 2. est simiæ calvaria. Cranii humani ossa hoc ordine fig. 4. 5. 6. 7. 9. 12. 14. 11. 13. 16. sequuntur.

16. Tab. XLVII. icones hocce proponi commode possunt ordine. Ossa faciei ostendunt fig. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 5.; dentes fig. 10. 12.; os hyoides fig. 14. 15.; spinam dorsi

fig. 9.

fig. 9. 11. ; sternum fig. 18. 19. 20. 21. ; costas quasdam fig. 22. 23. 24. ; scapulam fig. 16. 17. ; atque claviculam fig. 13. ; humeri & brachii ossa fig. 26. 27. 28. 29. 30. 31. ; & manum fig. 33. 36. 25. 32. in homine ; atque fig. 34. 35. 37. in simia.

DE FIGURARUM MAGNITUDINE, ET SYMMETRIA.

IN Tabulis IX. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XLIII. XLIV. XLV. integram corporis molem sive longitudinem repræsentantibus, altitudo iconis, si perpendiculariter erectus supponeretur homo, est semper quam proxime 90. partium vel graduum scalæ illi adscriptæ ; ut patet ex mensuratione partium cum regulari corporis humani symmetria rite collata, atque consideratione inclinationis corporis, & flexionibus articulorum in variis illius posituris. Ibii 90. gradus æquales plus minus deprehenduntur *digit.* Londin. 11. Quare si dicamus hancce scalam humani corporis longitudinem naturalem in determinata quadam, nempe subsextupla ratione, diminutam, æquare, inveniemus Eustachium supposuisse altitudinem mediam corporis virilis, quale ille ubique in dictis tabulis depinxit, esse æqualem præter propter *dig.* 66. ped. 5. $\frac{1}{2}$; vel magis accurate, *dig.* 67., tribuendo $\frac{1}{60}$ vel $\frac{1}{70}$ partem contractioni impressæ chartæ ; qua nimirum differentia pictura quævis tabulæ æneæ insculpta longior esse solet impressa figura, quæ ut pote in madidam facta chartam, hac siccata pariter contrahitur. Atque illa suppositio altitudinis corporis nostri examussim congruit cum talium rerum satis studioso Molyneuxio (a), qui illam nunc *dig.* 66., alias *dig.* 67. supputavit ; sicque etiam prope satis accedens ad rotundum Vallaei (b) numerum ; qui quippe statuit mediocrem hominis (i. e viri) quantitatem esse plerumque *ped.* 5. $\frac{1}{2}$ mensura nempe Leydensi ; hoc est, in Londinensi mensura *dig.* 68. $\frac{1}{5}$ Vallæus autem erat Batavus. Quoniam itaque ut plurimum Batavi, item Germani, ex quibus illum suam habuisse suppositionem non dubitandum, procerioris sunt staturæ hominibus Italis, quos solos forte consideravit Eustachius ; non incongruum videtur ex dictis asserere, huic in mente fuisse figuras exhibere corporis virilis accurate sextuplo quoad longitudinem minores, quam secundum medium computum in ipsa observatur natura.

2. Unde si statuas omni dimensione hisce Eustachianis tabulis similes & pares effingere vellemus, illarum longitudo vel altitudo erecta supposita foret $\frac{1}{6}$ pars altitudinis viri mediocris staturæ. Idemque de aliis quibuscunque corporis vel ejus partium dimensionibus longitudinalibus dictum puta. Superficies vero foret $\frac{1}{36}$ superficiei, & soliditas $\frac{1}{216}$ molis corporis istius virilis.

3. Tab. X. XI. exhibent partes duplo longiores quam præcedens ; & propterea earum longitudo tripulo minor proponitur quam in ipsa natura : nisi quod Tab. XI. fig. 11. in paulo majore facta videatur ratione, ad naturam nempe quasi ut 2. ad 5.

4. Ista quoque ratio 1. ad 3. obtinet in Tab. XII. fig. 1. 3. 4. 7. 9. 10. 12. Sed fig. 2. 5. 6. 8. proprius accedunt ad justam magnitudinem, vel nimirum ut 5. ad 6., vel ex juniore desumptæ corpore. Fig. 11. rationem non determinamus ; quum pertineat vel ad ursum, vel forte ad fœtum humanum indefinitæ ætatis, & magnitudinis.

5. Tab.

(a) Phil. Transf. 261. abridg. p. 2. 6.

(b) Inst. Med. 1. 8.

5. Tab. XIII. ipsam fere exprimit naturam, ab ea distans hujus tantum quasi $\frac{1}{6}$ parte. Vel forte illam ostendit integram, quemadmodum in juniore ac immaturo apparuit virgineo corpore. Ex junioribus quippe sua ut plurimum depinxit Eustachius.

6. In Tab. XIV. fig. 1. dimensiones longitudinales triplo fere sunt minores quam in ipsa natura. Fig. 2. 3. 4. servant rationem Tab. XIII. Reliquæ, quum ad fœtus varios indeterminatæ magnitudinis pertineant, nec ipsæ definiri possunt.

7. Tab. XV. partes exhibet natura quadruplo minores.

8. Tab. XVI. subduplam ostendit naturalis partium longitudinis rationem.

9. In Tab. XVII. XVIII. partium longitudines sunt veris triplo minores.

10. In Tab. XXVII. fig. 1. 2. 4. 13. eadem quoque, nempe subtripla, naturæ obtinet ratio. Sed fig. 3. 5. 6. 7. 8 9. 12. sunt in consueta integri corporis tabularum ratione, quam natura sexies minorem primo statuimus.

11. Tab. XXXIX. fig. 1. cum prægressis magnis musculorum convenit tabulis. Sed fig. 2. 3. 4. 5., ut & sequens.

12. Tab. XL. cum naturali congruunt partium magnitudine.

13. Tab. XLI. præcipuæ figuræ sunt triplo breviores vera partium longitudine. Fig. 9. 10. naturæ sunt conformia. Atque fig. 2. 6. 7. non sunt hominis.

14. Tabula XLII. partes proponit in ratione fere justæ longitudinis subsesquiplicata; sive ut 1. ad 1. $\frac{1}{2}$.

15. In Tab. XLVI., ut & Tab. XLVII. fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. subtripla ossium proponitur longitudo. In fig. 9. 10. 12. 14. 15. partes duplo tantum sunt breviores quam in naturali statu. Fig. 33. 36. ipsam exprimunt naturalem magnitudinem. Atque fig. 34. 35. 37. ex simiæ, non hominis de sumuntur corpore.

16. Opusculorum icones maximam partem ex propositis mutuantur tabulis; una tantum excepta aut altera in harum supplementum aut correctionem adjecta figura, quarum idcirco ad naturam rationes ex prægressarum comparatione sponte innotescunt.

17. Observare interim convenit, propter picturæ angustiam & delineationis difficultatem, sæpius coactum fuisse Eustachium vasa nervosque exiguos in majore exprimere latitudine, quam vel ipsa fert natura, partiumve proportionalis magnitudo.

18. Verum Eustachius non tantum in Anatome, sed & in artibus illis quæ pictura & sculptura vivos imitantur homines, sedulum suum naturæ studium atque geometricam plane suam ubique patefacit accurationem. Sic in ipsius tabulis integrum exprimentibus hominem, hujus erecti suppositi altitudo est, in sculptorum ac pictorum phrasi, *capitum* 7. & *partium* 2. sive *capit* 7. $\frac{1}{2}$ *Caput* quoque Eustachii figuram invenimus ut plurimum convenire cum adjectæ scalæ *grad.* 12.: cujus nempe *grad.* 90. integræ corporis altitudini jam vidimus commensuratos (a). Sicque *pars* habebit *grad.* 3., atque *facie grad.* 9. continente, integra corporis altitudo *faciebus* 10. erit æqualis.

19. Cumque constet nec veterum statuas ipsius studium & considerationem præterire potuisse (b), videmus hasce supputationes perfecte convenire cum statua filii Laocoontis (c) natu majoris in Vaticano Romæ, cum statua ibidem constituta Antinoi (d), adole-

(a) Vid. §. 1. cap. 3.
(b) Ven. Azyg. 6. p. 248.
(c) Audran. proport. corp. num. 24. 25. fig. 1.
(d) Ibid. 11. 12.

adolescentis in toto Romano imperio bellissimi, dum viveret, habiti, cumque statua itidem Lodicæa famosi Pyrami (a) ab Ovidio celebrati. Cum quibus variis corporis mensuris miram sæpe percipimus Eustachii tabularum harmoniam. Ut undequaque de ejus accuratione geometrica constet, pateatque simul illius studium fuisse Anatomen suam ex junioribus præsertim mollioribusque corporis concinnare: quod ex ossium contemplatione manifestius fiet. Cum contra Vesalius non nisi robustiores depingendos selegisset homines, rarosve illos viros, qui grandi corporis compage, membrorumque firmitudine, Farnesianum Herculem (b) fere imitantur. Passim enim crassitie superant, nedum Apollinem Vaticanum (c) virum juvenili vigore florentem, sed & ipsam Lacoontis (d) imaginem, quæ virum firma & robusta satis partium constructione præditum repræsentat. Atque cum tales ut plurimum consuetam hominum superent staturam, exinde contractioni madentis impressæ & figura signatæ chartæ aliquid tribuentes, inveniemus vulgares Vesalii icones quasi quinquies minores archetypo; Epitomes vero, & unam atque alteram magni operis, grandiores tabulas quartam fere veræ longitudinis exprimere partem. Neque tamen vel sic ullam talem harmonicam regulam ab ipso adamussim fuisse observatam, neque cum proportiones partium subtilitate considerasse mathematica contenderem. Quem utpote, præter alias a vera symmetria anomalias, virum mulieremque ejusdem proceritatis exhibentem videam: cum tamen virilis altitudo secundum medias rationes muliebrem superet dimidio quasi capitis, id est, parte quasi $\frac{1}{15}$ vel $\frac{1}{16}$ totius longitudinis.

20. Ex quibus omnibus rite consideratis concludere possumus, Eustachium in symmetria corporis humani excolenda, atque accurata & geometrica partium designatione, omnibus aliis præcelluisse Anatomicis; simulque, cum gravissimis Vesalii nuperis editoribus (e) affirmare, illum „ videri ad dimensionis geometricæ severitatem suas con„ cinnasse tabulas, ideo ut Galeni & Vesalii scripta cum ipsa natura compararet, atque „ ita litium inter dissentientes finem faceret „.

IMPRI-

(a) Ibid. 8. 9.

(b) Andran. proport. corp. hum. 5. 6. 7.

(c) Ibid. 17. 18. 19. 20.

(d) Ibid. 1. 2. 3. 4.

(e) Oper. Vesal. præf.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marc. ab Immac. Conc. Patr. Conſtant. Epiſc. Montis-Alti , ac Viceſgerens.

APPROBATIO.

QUibus *novis explicationibus Bartholomæi Euſtachii Tabulas Anatomicas* auxit, ornavitque *Andreas Maximinus in Noſocomio B. M. Conſolationis Chirurgus Primarius &c.* adeo ſum delectatus, quum primum, juſſu Reverendiſſimi Patris Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri, ad illas evolvendas me contuli, ut nihil ſupra. Explicatio enim, quæ Romano Archiatro primum eaſdem Tabulas interpretanti olim excidit, cum tanquam jejuna, & a perfectione longe aliena a B. S. Albino reprehenſa fuerit, maximam cæpi animo voluptatem, aliquem tandem inter Romanos Anatomicæ facultatis cultores caput extuliſſe, qui ad optatum illum, totieſque quæſitum perfectionis apicem, quantum rei magnitudo patiebatur, pervenire contenderet. Quod ut aſſequi poſſet Vir Clariſſimus, nullum hercle videtur non moviſſe lapidem: non modo enim multa e ſuo doctrinæ Anatomicæ penu in Tabularum perſpicuitatem, atque ornamentum attulit, verum etiam quæ unicuique ex graviſſimis Interpretibus inſunt propria, ac præcipua, ingenioſæ apis inſtar e floribus hinc inde delibatos ſuccos in unum mel permiſcentis, mira ingenii felicitate collegit, atque ita complexus eſt, ut hoc pacto Operi Euſtachiano, quod, præter Tabulas, periiſſe dolemus adhuc, proprius accedat. E re itaque Anatomica fore arbitror, ut hoc tanta elaboratum induſtria opus lucem aſpiciat; præſertim cum nihil contra S. Catholicam Fidem, nil contra bonos mores, nihil contra principum jura, Majeſtatemque contineat.

Datum Romæ ex meis Ædibus Idib. Octobris Anno 1783.

Franciſcus Mora ex Roman. Archiatr. Collegio, & in Apoſtolico S. Spiritus Archinoſocomio Inſtit. Chirurg. Lector, & Medicus Primarius.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamacchius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

BARTHOLOMÆI EUSTACHII
EXPLICATIO
TABULARUM OCTO
AD OPUSCULA ANATOMICA PERTINENTIUM

DE TABULARUM USU.

Regulam ex charta, aut ex ære facito latitudine digitali, quæ longitudine harum tabularum latitudinem exæquet: eam dividito in gradus ipsarum tabularum gradibus ac numeris respondentes. Sed regulam accommodabis ad lineas altitudinis tabulæ ex eo numero, quem ipsarum index ostendit: quo autem lineæ concurrerint, angulumque effecerint, ibi quæsitam partem invenies. Illud vero attendito in indice, locos harum partium, quæ depictæ sunt, commonstrante, priore numero altitudinem, posteriore latitudinem significari.

Potest etiam aut ex ferro, aut ex ligno fieri circulus planus, cujus ambitus sit paulo major, quam longitudo tabularum: eique alterum filum rectum, & alterum transversum ad angulos rectos protractum obducere, ac infigere oportet. Si enim ejusmodi regulæ fila numeris altitudinis, ac latitudinis in tabula descriptis, ut ipsarum index ostendit, accommodabis, statim punctus, quo fila sese intersecant, partem, quam inquiris, ostendet.

Diversæ renum formæ in his tabulis depictæ sunt, non quia omnes sint monstruosæ, sed quia hominis natura in eis conformandis admodum inconstans, ac varia est.

TABULA PRIMA
FIGURA PRIMA.

In prima figura ren dexter est major, quam sinister, parte superiore uterque æqualem fere altitudinem habet. Sinister enim nonnihil dextro est elatior, inferiore dexter sinistro est humilior, & hoc evenit propter magnitudinem: cujus causa sinister altior dextro dici potest.

Glandula reni dextro incumbens; forma, figura, & substantia ei respondens; major est quam sinistra, 1. 12.

Glandula reni sinistro incumbens, similis dextræ; sed ea minor, 2. 22. $\frac{1}{2}$

Venæ cavæ truncus, 2. 16. & 15. 16.

Arteriæ magnæ pars, 2. 19. & 15. 19.

Venula orta a dextra parte cavæ venæ supra emulgentem, & in pinguem dextri renis membranam distributa, 2. $\frac{1}{2}$ 15.

Venula 4. 15. vel a cava, vel a suprema parte emulgentis dextræ ortum ducens; quæ partim 2. 14. in septum transversum; partim 2. $\frac{1}{2}$ 13. in glandulam reni dextro incumbentem; partim 4. 13. in supernam regionem substantiæ renis distribuitur.

Vena emulgens dextra; humilior, brevior, & magis obliqua, quam ſiniſtra, 5. 15.
Vena ſeminaria dextra, 8. 16.
Arteria dextra emulgens, 7. 11. $\frac{1}{2}$
Vas urinarium dextrum, 10. 13.
Vena emulgens ſiniſtra; altius orta, longior, & minus obliqua, quam dextra, 4. 18.
Oriri ſolent venæ emulgentes e regione duodecimæ thoracis, & primæ lumborum vertebræ.
Venula 5. 20. $\frac{1}{2}$ a ſuperiori latere ſiniſtræ emulgentis venæ in medio ductu nata; quæ diſtribuitur partim 3. 21. in ſeptum tranſverſum; partim 3. 22. in glandulam reni ſiniſtro incumbentem; partim 3. $\frac{1}{2}$ 23. in ſuperiorem regionem pinguis tunicæ renis.
Venula originem ducens a ſuperiori latere emulgentis ſiniſtræ juxta renem; diſſeminata in inferiorem partem pinguis tunicæ ejuſdem, 7. 25.
Vena ſeminaria ſiniſtra orta ab emulgente, 7. 20. $\frac{1}{2}$
Arteria emulgens ſiniſtra, 5. $\frac{1}{2}$ 21. $\frac{1}{2}$
Arteriæ ſeminariæ, 8. 18., & 8. 19. $\frac{1}{2}$
Arteria inferior meſenterii, 9. 19.
Vas urinarium ſiniſtrum, 10. 12.

FIGURA SECUNDA.

Secunda figura renem ſiniſtrum habet majorem, & altiorem dextro; licet propter magnitudinem hic videatur eſſe humilior.
Glandulæ renibus incumbentes, inſtar placentularum depreſſæ ac latæ; ut plurimum enim tales occurrunt: renibus forma ſunt rarius ſimiles. Hæ quandoque non renibus, ſed tranſverſo ſepto adhærent, eique valide alligantur, 21. 11. & 22. 22.
Vena cava, 22. 16. & 34. 16.
Arteria magna, 22. 19. & 34. 19.
Venula parum ſupra principium emulgentis dextræ enata; inſeritur tum in dextram glandulam renis; tum in ſuperiorem regionem pinguis tunicæ ejuſdem diſtribuitur, 22. 13.
Vena emulgens dextra altius oritur, quam ſiniſtra; ac ſimul cum arteria in quatuor ramos dividitur; & ante diviſionem producit venam ſeminariam, 25. 14.
Venæ ſeminariæ dextræ duo principia; alterum ab emulgente, alterum a vena cava, 27. 14. $\frac{1}{2}$ & 30. 15.
Vas urinarium dextrum, 30. 13.
Vena 23. $\frac{1}{2}$ 18. juxta emulgentem ſiniſtram a cava orta, quæ alterum 24. 19. $\frac{1}{2}$ ramulum mittit in peritonæi membranas; alterum 23. 19. bipartitum inſerit in glandulam reni incumbentem: unde alter 20. 25. ramulus egreditur ad membranas peritonæi, alter 22. 23. ad ſupremam ſedem tunicæ pinguis.
Vena emulgens ſiniſtra humilius oritur, quam dextra; ac ſimul cum arteria in quinque ramos dividitur: & ante diviſionem duo principia venæ ſeminariæ producit, 25. 18. $\frac{1}{2}$
Vena ſeminaria ſiniſtra duobus principiis ab emulgente orta; quod ſæpe accidit; quamvis vena emulgens in tot ramos, quot vides, ſemper non ſit diviſa, 30. $\frac{1}{2}$ 21.
Arteriæ ſeminariæ, 28. 17. & 28. 20.
Vas urinarium ſiniſtrum, 30. 22. $\frac{1}{2}$

FIGURA TERTIA.

In tertia figura ren dexter eſt altior ſiniſtro.
Venæ cavæ truncus, 43. 16. & 55. 16.
Arteria magna, 43. 18. & 55. 18.
Duæ emulgentes venæ dextræ altius oriuntur, quam duæ ſiniſtræ: oblique deorſum, uno digito æque diſtantes, ad renem tendunt; quarum inferior eſt minor ſuperiori: & ambæ ſeminariam venam producunt, 46. 13. & 48. 14.
Arteria emulgens dextra, cum ſuperiori & craſſiori vena procedens, 47. 13.
Vena ſeminaria dextra, ex duobus principiis

piis conſtituta, 50. 13. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium dextrum, 51. 12. $\frac{1}{2}$

Duæ venæ emulgentes ſiniſtri lateris, magnitudine æquales, figura flexæ humilius oriuntur, quam dextræ: quarum ſuperior ſatis obliqua deorſum procedit; inferior vero parum, & pene tranverſa ducitur; ambæque inſtar X ſe interſecant: eminentior enim inferius, humilior vero ſuperius in renem inſeritur, 46. 18. & 48. 18.

Arteria emulgens ſiniſtra; ad medium uſque ductum, cum ſuperiori, & inde cum inferiori vena procedens. 47. $\frac{1}{2}$ 21.

Vena ſeminaria ab inferiori emulgente orta, 49. 20.

Arteriæ ſeminariæ, 50. 18. & 50. 19. $\frac{1}{2}$

Inferior arteria in meſenterium diſtributa, 51. $\frac{1}{2}$ & 19. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium ſiniſtrum, 51. 23.

TABULA II.

FIGURA PRIMA.

IN prima figura renes, magnitudine parum, aut nihil differunt; & dexter nonnihil est humilior; sinister parum elatior.

Glandulæ renibus incumbentes; depressæ, & oblongæ, ac si essent duæ placentulæ, 3. 12. & 2. ½ 24.

Vena cava, 2. 16. & 16. 16.

Arteria magna, 4. 18. ½ & 14. 18. ½

Vena a cava juxta hepar originem ducens; partim dexteræ glandulæ reni incumbentis corpus perforat; partim superficiem ejusdem perreptat, 2. 13. ½

Venula in eandem glandulam inserta; originem trahens ab emulgente vena juxta cavam, 5. 14. ½

Vena emulgens dextra; fere e regione sinistræ, aut nonnihil inferius enata, 7. 14.

Vena distributa in pinguem renis tunicam; orta a suprema parte emulgentis dextræ, 7. 11.

Vena alia emulgens dextra, parum sub priori enata; multo tamen eadem minor, 9.14.

Vena seminaria dextra, 9. 16.

Arteriola in dextram glandulam renis infixa; principium sumens ab arteria emulgente, 6. 13. ½

Arteria emulgens dextra, 6. ½ 13. ½

Arteria orta ab emulgente; & in renem dextrum juxta secundam venam emulgentem inserta, 8. ½ 13. ½

Vas urinarium dextrum; juxta renem satis latum, 11. 13. ½

Vena emulgens sinistra; admodum magna, nonnihil altior in ortu, quam dextra; parumper oblique procedens, 7. 20.

Vena 6. 21. orta a superiori latere emulgentis sinistræ; quæ dividitur in duos ramos: quorum 3. ½ 21. alter bifidus, in medioque suarum propaginum arteriam continens, in septum transversum, non longe a sinistro latere foraminis, per quod gula pertransit, distribuitur; & antequam ad membranosam ejus partem perveniat, cum propriis septi transversi venis coit. Alter ejusdem venæ ramus 4. 22. partim in glandulæ reni incumbentis substantiam, partim in ejus superficiem, ac in superiorem pinguis membranæ partem dispensatur.

Vena in mediam sedem pinguis tunicæ renis sinistri, ab emulgente juxta renem orta, 7. ½ 24. ½

Vena ab emulgente sinistra, fere eodem loco cum superiori originem ducens, in inferiorem partem pinguis tunicæ renis disseminatur; a qua ramulus procedit; qui cum vena seminaria sinistra conjungitur. 9. ½ 25.

Qua parte ab emulgente vena oriri solet seminaria sinistra, quatuor rami ab una radice simul oriuntur: quorum 8. ½ 22. ½ primus simul cum ipsa emulgente tendit in renem. Secundus 8. ½ 21. & 4. ½ 20. ½ ad posteriora juxta vertebras sursum reflectitur; & cum ramo 2. 19. ½ sinistro venæ sine pari connascitur: cujus secundi rami portio 5. ½ 21. ½ ad latus sinistrum tendit. Tertius 9. 21. ad sinistrum latus iliorum deductus, in proximas partes disseminatur. Quartus 10. 20. ½ ramus venam seminariam sinistram producit; cum quo portio venæ per pinguem renis tunicam disseminatæ conjungitur.

Arteria sinistra in septum transversum distributa, 4. 19. ½

Arteriæ mesenterii, 5. 18. & 5. 19.

Arteria emulgens sinistra, 5. ½ 20.

Arteriolæ ad glandulam sinistram reni incumben-

bentem tendentes; quæ communi principio ab arteria emulgente oriuntur, 6. 22.

Arteriæ ſeminariæ, 10. 18. & 10. 19.

Arteria inferior meſenterii, 11. 19.

Vas urinarium ſiniſtrum, 9. $\frac{1}{2}$ 23.

FIGURA SECUNDA.

IN ſecunda figura ren dexter ſiniſtro major eſt; eodemque parumper etiam humilior.

Glandula dextro reni incumbens, inſtar placentulæ depreſſa: 24. 11.

Glandula, inſtar placentulæ ſatis oblongæ, ſiniſtro reni incumbens, 25. 24.

Vena cava, 23. 16. & 38. 16.

Arteria magna, 25. 19. & 37. 19.

Vena a cava parum ſub hepate orta, dextri renis glandulam perforat, 23. 14. $\frac{1}{2}$

Vena ab emulgente juxta cavam originem ducens; altero ramo dextram renis glandulam penetrat: altero ejus ſuperficiem perreptat; altero in ſupremam partem tunicæ pinguis diſtribuitur, 26. $\frac{1}{2}$ 14.

Vena fere in totam dexteri renis tunicam pinguem diſpenſata; nam ſupremam ejus partem non perreptat: oritur ab emulgente juxta prædictam: & cum præcipuo ejus ramo, propago venæ ſeminariæ dextræ conjungitur, 27. $\frac{1}{2}$ 14.

Vena emulgens dextra, 28. 15.

Vena ſeminaria dextra, 35. 15.

Ramus venæ ſeminariæ dextræ; qui conjungitur cum ramo præcipuo venæ, quæ in pinguem dextri renis tunicam diſpergitur, 39. 12.

Arteria emulgens dextra, 30. 12.

Vas urinarium dextrum, 33. 13.

Vena emulgens ſiniſtra maxima, 28. 19.

Vena a ſuperiori parte ſiniſtræ emulgeutis in medio ductu enata, quæ hoc pacto diſtribuitur, 28. 21.

Venula in ſeptum tranſverſum; non longe ab ejus arteria ſiniſtra: quæ ſatis inſignis etiam in ſimia obſervata eſt, 26. 21.

Vena glandulam renis ſiniſtri penetrans; & ejus ſuperficiem, ac pinguis ſupremam partem tunicæ renis perreptans, 26. $\frac{1}{2}$ 22.

Venulæ in pinguem renis ſiniſtri tunicam, ſupra ejus medium diſtributæ, 27. 23. & 28. 23.

Ramus venæ emulgentis ſiniſtræ, ſurſum juxta vertebras reflexus; qui cum altero extremo venæ ſine pari coit, 30. $\frac{1}{2}$ 20. & 26. $\frac{1}{2}$ 20. $\frac{1}{2}$

Portiones prædicti rami, in proximas partes diſtributæ, 31. 22. & 27. 21.

Vena ſeminaria ſiniſtra, 31. 21.

Ramus venæ ſeminariæ ſiniſtræ, in inferiorem partem pinguis tunicæ renis ſiniſtri diſtributus, 31. $\frac{1}{2}$ 22.

Arteria ſiniſtra ſepti tranſverſi, 25. 19. $\frac{1}{2}$

Arteriæ ſeminariæ, 30. $\frac{1}{2}$ 18. & 31. 19. $\frac{1}{2}$

Inferior arteria meſenterii, 32. 19. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium ſiniſtrum, 33. 22. $\frac{1}{2}$

FIGURA TERTIA.

IN tertia figura ren dexter ſiniſtro aliquantulum eſt humilior.

Vena cava, 46. 16. $\frac{1}{2}$ & 57. 16. $\frac{1}{2}$

Arteria magna, 46. 19. & 57. 19.

Glandula reni dextro incumbens, inſtar placentulæ oblongæ, 44. $\frac{1}{2}$ 11.

Glandula inſtar placentulæ oblongæ, reni ſiniſtro incumbens, 43. $\frac{1}{2}$ 24. $\frac{1}{2}$

Vena a cava parum ſupra emulgentem dextram ortum ducens; in tres ramos diviſa, 46. $\frac{1}{2}$ 15.

Primus ramus, altera ſui parte, in ſuperficiem glandulæ dextræ reni incumbentis diſtribuitur: altera vero eandem glandulam perforat; ac deinde ſuperiorem partem pinguis tunicæ renis perreptat, 46. 13.

Secundus ramus in totam fere pinguem tunicam dextri renis diſpergitur, 47. 13.

Tertius ramus in membranam peritonæi, juxta vaſa emulgentia dextri lateris diſpenſatur, 48. 13.

Ve-

Vena emulgens dextra, 49. 14. $\frac{1}{2}$

Vena ſeminaria dextra, 52. 16.

Arteria emulgens dextra humilior ſiniſtra, 50. 12.

Vas urinarium dextrum, 53. 12. $\frac{1}{2}$

Vena emulgens ſiniſtra major, quam dextra, & ea in origine altior, 48. 19.

Vena ab emulgente ſiniſtra, juxta ejus principium enata in duos præcipuos ramos diſtributa, 46. 18. $\frac{1}{2}$

Primus 46. 20. ramus, altera 45. 21. & 43. 25. $\frac{1}{2}$ ſui portione in peritonæum; altera 45. $\frac{1}{2}$ 22. in glandulæ ſiniſtræ corpus, ac ſuperficiem; altera 46. 22. & 44. 26. in ſuperiorem partem pinguis tunicæ renis ſiniſtri digeritur.

Secundus ramus in membranam peritonæi, circa vaſa emulgentia diſſeminatur, 46. $\frac{1}{2}$ 19. $\frac{1}{2}$

Vena ſeminaria ſiniſtra, 51. 21.

Vena in renis tunicæ pinguis inferiorem partem, 51. 24.

Arteria emulgens ſiniſtra, 49. $\frac{1}{2}$ 23. $\frac{1}{2}$

Arteriæ ſeminariæ, 51. 18. & 51. 19. $\frac{1}{2}$

Inferior arteria meſenterii, 53. 19. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium ſiniſtrum, 54. 22.

TABULA III.

FIGURA PRIMA.

IN prima figura dexter ren minor est, & elatior; sinister multo major, & humilior, præsertim in infima sede: nam in suprema ambo parum differunt.

Vena cava, 2. 16. & 14. 16.

Arteria magna, 2. 19. & 14. 19.

Vena emulgens dextra, in tres ramos divisa, 5. 14.

Vena emulgens alia, duobus digitis sub prædicta originem sumens; quæ venam seminariam dextram producit, 8. $\frac{1}{2}$ 13.

Vena seminaria dextra, 9. 14.

Vena alia duobus digitis supra magnam cavæ venæ in lumbo divisionem principium ducens, inseritur in humiliorem partem renis simul cum arteria, quæ ipsam comitatur, 11. $\frac{1}{2}$ 15.

Arteria emulgens dextra, simul cum prima emulgente vena procedens; in duos inæquales ramos divisa, 4. 14.

Arteria alia, procedens a trunco dextro magnæ divisionis in lumbo, 13. 15.

Dextrum vas urinarium, instar oblongæ vesiculæ apparens; quod simam partem renis, usque ad ejus summitatem perreptat, 7. 11.

Vena emulgens sinistra, e regione dextræ ortum ducens, simul cum arteria in tres ramos dividitur; nullamque seminariam venam producit, 6. 20.

Vena seminaria sinistra, a cava enata, 7. 17.

Arteriæ seminariæ, 7. $\frac{1}{2}$ 18. & 7. $\frac{1}{2}$ 19.

Inferior arteria mesenterii, 9. $\frac{1}{2}$ 19.

Interdum rene existente satis magno, ut hic sinister apparet, tres in eo sunt cavitates, in quas urina colatur: una in ejus summitate, non admodum magna: altera in medio, prædicta triplo major: tertia in infima ipsius sede: & a qualibet earum unus oritur meatus urinarius.

Primus meatus urinarius a prima cavitate ortus, qui deorsum tendens usque ad magnam arteriæ divisionem in lumbo, conjungitur cum aliis duobus meatibus, 5. $\frac{1}{2}$ 22. $\frac{1}{2}$ & 10. 21.

Secundus ramus urinarius ortus a media cavitate, qui deorsum oblique fertur, fere usque ad humiliorem sedem renis, 10. 22.

Tertius meatus amplus est, & ab ultima cavitate tribus principiis ortum ducit: hic parumper deorsum productus, angustior redditur; & primum cum secundo meatu coit, ac unus cum eo efficitur: deinde cum primo unitus, cum eo unum vas urinarium efformat, 11. $\frac{1}{2}$ 23.

FIGURA SECUNDA.

In secunda figura ren dexter elatior est sinistro.

Vena cava, 20. 16. & 30. 17.

Arteria magna, 20. 19. & 31. 29.

Vena emulgens dextra multo altius orta, quam sinistra; simul cum arteria in tres ramos æquales divisa, qui æque distantes inseruntur supra renis medium, 21. $\frac{1}{2}$ 14.

Vena seminaria dextra, 25. 16.

Vena alia emulgens, procedens a cava sub ortu venæ seminariæ dextræ, quæ transversa ducitur, & in renem inseritur sub ejus medium, 25. 15.

Duæ aliæ arteriæ, ultra consuetam, cum prima vena emulgente procedentem, ad re-

nem dextrum tendunt, 23. $\frac{1}{2}$ 15. & 25. $\frac{1}{2}$ 15.

Prima harum duarum arteria oritur ſupra arterias ſeminarias, & tranſverſa ſuper cavam venam procedens, inſeritur prope humiliorem ramum primæ venæ emulgentis, 23. $\frac{1}{2}$ 17.

Secunda arteria oritur ſub arteriis ſeminariis, & una cum ſecunda vena ad renes progreditur, ac in eos inſeritur, 26. 17.

Vas urinarium dextrum, 27. 13.

Vena emulgens ſiniſtra, major, & humilius orta, quam dextra; ubi arteriam magnam præteriit, in duos ramos partitur; & ſinguli rurſus in alios dividuntur: altera portio primi rami inſeritur in glandulam reni ſiniſtro incumbentem, & ipſam perforat; altera in anteriorem renis partem ſupra ejus medium diſpergitur. Secundus ramus, primum gignit venam ſeminariam: deinde bipartitus, altera parte ſurſum fertur, & inſeritur in renem ſupra infimam partem primi rami: altera inſeritur in eundem renem ſub ejus medium, 23. 19.

Vena ſeminaria, 25. 20. $\frac{1}{2}$

Alia vena ſiniſtra ad renem ſurſum oblique tendens; oritur a ſiniſtro trunco magnæ diviſionis venæ cavæ in lumbo, & inſeritur in infimam ſedem renis, 33. 19. & 31. 21.

Arteria ſiniſtra emulgens, quæ in duas partes dividitur, quarum una fertur & inſeritur ſimul cum infima portione primi rami venæ emulgentis: altera cum ſecunda parte ſecundi ejuſdem venæ rami, 22. 20.

Alia arteria ſimul cum ſecunda vena ſiniſtra deducta, ortum ducens a ſiniſtro trunco magnæ diviſionis in lumbo, 30. 21.

Arteriæ ſeminariæ, 25. 18. & 25. 19. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium ſiniſtrum, inſtar oblongæ veſicæ ſatis dilatatum, in anteriori ſede renis oblique poſitum; in quod plures ex rene feruntur meatus, multis interdum arenulis pleni, 27. 24.

FIGURA TERTIA.

In tertia figura ren dexter ſiniſtro eſt minor; qui propter magnitudinem ſupra elatior, infra humilior dextro apparet.

Vena cava, 36. 16. & 50. 15. & 50. 18.

Arteria magna, 36. 18. $\frac{1}{2}$ & 51. 16. & 51. 20.

Vena emulgens dextra altius orta, quam ſiniſtra, & ea multo gracilior, quæ in duos ramos diviſa, altero in elatiorem, altero in humiliorem partem renis inſeritur; & antequam dividatur, venam ſeminariam dextram producit, 38. 14.

Vena ſeminaria dextra, 39. 13.

Vena altera ad renem producta, quæ uno digito ſub emulgente dextra ortum ducens, oblique ſurſum tendit, & multo ſupra inſertionem prioris rami memoratæ emulgentis, in renem infigitur, 39. 15.

Tertia vena ad renem dextrum procedens, duobus digitis ſub ſecunda enata, & fere transverſa ad renem producta, 42. 15.

Arteria dextra ſupra emulgentem conſuetam orta, primo deorſum, deinde ſurſum procedens, quæ in duos ramos diviſa, inſeritur in renis ſummitatem, 36. $\frac{1}{2}$ 17. $\frac{1}{2}$ & 37. 13.

Arteria dextra emulgens, deorſum cum vena emulgente procedens; & cum infimo ejuſdem venæ ramo in anteriorem renis ſedem inſerta, 37. 17. $\frac{1}{2}$ & 38. 15.

Tertia arteria dextra, ortum ducens e regione inferioris arteriæ meſenterii, & tranſverſa ad renem tendens, 43. 16.

Quarta arteria dextri renis, enata in medio magnæ diviſionis, quæ in lumbo fit; oblique ſurſum ad ſenis poſteriorem & inferiorem ſedem protrahitur, 48. 18.

Quinta arteria dextri renis, orta a ramo ejuſdem lateris ad os ſacrum tendente, ſurſum oblique aſcendens, in anteriorem & imam ſedem renis inſeritur, 57. 12.

Vas urinarium dextrum, in principio ſatis la-

latum, ex quinque propaginibus conflatur; licet earum tres ſolum appareant, quæ per anteriora renis egrediuntur, 44. 10.

Vena 38. $\frac{1}{2}$ 18. emulgens ſiniſtra, inferius orta, quam dextra, ubi arteriam magnam præteriit, in quinque ramos dividitur; quorum alter 38. 20. $\frac{1}{2}$ qui ſuperior eſt, inſeritur, tum in elatiorem ſedem ipſius renis, tum in glandulam ei incumbentem; unde poſtea ramulus ad membranam pinguem egreditur. Secundus 39.21. oblique deorſum tendit, & bipartitus in anteriorem ſedem renis circa ejus medium inſeritur. Tertius 39.$\frac{1}{2}$ & 20.$\frac{1}{2}$ ſurſum oblique reflectitur; & ſecundum inſtar X interſecans, inſeritur in anteriorem & ſuperiorem renis partem. Quartus 41. 20. deorſum oblique tendens, inſeritur in interiorem & humiliorem ſedem renis. Quintus 40. $\frac{1}{2}$ 20. reflectitur retrorſum ad lumbum, & inter primam & ſecundam ejus vertebram ad medullam ſpinalem penetrat.

Vena alia ſiniſtri renis, a ſiniſtro ramo magnæ diviſionis in lumbo enata; ſurſum oblique aſcendit, & poſtquam ramum diviſionis arteriæ ejuſdem lateris præteriit, in duas propagines dividitur; quæ in medio comprehendentes tertiam arteriam ſiniſtram, inſeruntur in anteriorem & humiliorem ſedem renis; 49. 18. $\frac{1}{2}$ & 47. 21.

Vena ſeminaria ſiniſtra, 39. $\frac{1}{2}$ 17.

Prima arteria ſiniſtra ad renem tendens, oritur e regione ſecundæ earum, quas in dextro latere eſſe diximus. Hæc juxta renem bipartita, inſeritur cum primo, & cum tertio ramo venæ emulgentis. 37.20.

Secunda arteria ſiniſtri renis, oritur ſub infima arteria meſenterii, bipartitaque prope renem inſeritur, altera ejus parte ſub medium renem; altera cum quarto ramo venæ emulgentis, 43. 20.

Tertia arteria, oritur paulo ante diviſionem magnæ arteriæ in lumbo, quæ inter ramos ſecundæ venæ ſiniſtræ procedens, ſimul cum illis in renem infigitur, 46. $\frac{1}{2}$ 20. $\frac{1}{2}$

Arteriæ ſeminariæ, 41. 18. & 41. 19.

Inferior arteria meſenterii, 43. 19.

Vas urinarium ſiniſtrum, ex quinque propaginibus a renibus procedentibus conflatum; oblongam veſicam, inſtar peræ paſtorariæ recurvatam refert; aut Threicium gladium altera parte flexum repræſentat. Hoc calculis plenum a nobis eſt inventum, 39. 25. & 47. 24. $\frac{1}{2}$

TABULA IV.

Tres figuræ venarum primo loco depictæ, non modo ad tractationem de renibus pertinent, verum etiam ad eam, in qua de vena azyga disputatur.

TRIBUS PRIMIS FIGURIS COMMUNIA.

Vena cava juxta cor recisa, 4. ½ 4. & 5. ½ 17. & 5. ½ 29.

Vena sine pari, 6. 3. ½ & 7. 29.

Venæ sine pari divisio circa decimam thoracis vertebram, 13. 5. & 13. ½ 18. Et e regione octavæ, ut interdum a nobis observatum est, 11. 30.

Truncus venæ cavæ, qua vocatæ emulgentes ab ea oriuntur, 18. 4. ½ & 19. 17. & 19. 29. ½

Propago dextri rami venæ sine pari, quæ conjungitur cum vena cava, juxta ortum emulgentis dextræ, 17. ½ 3. ½ quod tamen raro cernitur.

Dexter, & sinister ramus venæ sine pari, qui cum prima vena sui lateris, in lumbo sub emulgente orta conjunguntur, 19. ½ 3. & 18. 6. ½ Et in tertia figura, 20. 28. ½ & 20. 31. ½ In secunda autem sinister ramus conjungitur cum alio ab emulgente orto, priusquam producat venam seminariam, 20. 16. ¼ & 19. 19. ½

FIGURA SECUNDA.

Vena 3. ½ 19. ½ a sinistro cavæ trunco in jugulo, sub ortu venæ sterni enata, in duos ramos statim divisa; quorum major, 5. 18. ½ sub arteria brachij sinistri, ad tertiam thoracis vertebram reflexus, juxta radices costarum, usque ad nonam singulis surculos offerens, perreptat; quo ubi pervenit, cum ramis venæ sine pari, octavum 10. 18. & nonum 12. 18. earum intervallum nutrientibus conjungitur: quod ab illis præsertim expendi debet, qui in sanguine exhauriendo fibrarum rectitudinem magnifaciunt. Minor ramus 5. 19. ¼ cum sinistro septi transversi nervo incedens, in ejus lateris membranam thoracem dividentem, & in eam, quæ pericardium appellatur, propagines distribuit: tribusque bifidis surculis in carnosam, eandemque superiorem partem septi inseritur.

FIGURA TERTIA.

Ramus venæ azygæ, qui juxta radices costarum sursum reflexus, tertium, quartum, quintum, & sextum earum intervalla sinistri lateris nutrit, 8. 30.

Vena 4. 31. ½ a sinistro cavæ trunco in jugulo ortum ducens, in duos ramos scissa: quorum alter 5. 31. ½ cum sinistro nervo septi transversi procedens, in hoc, & in membranam dividentem thoracem distribuitur. Alter ramus sub 5. 31. arteriam brachii reflexus, e regione quintæ vertebræ thoracis, cum eo ramo 8. 30. venæ azygæ conjungitur, quem a sexto intervallo sursum reflecti diximus.

FIGURA QUARTA.

Renis urſinus, ex pluribus, quaſi glandulis magnitudine ceraſorum coagmentatus; quæ invicem junguntur & alligantur membranæ cujuſdam tenuis, ac ramorum ritum vaſorum beneficio, harum diviſiones replet copioſum pingue; quo remoto facile eſt ejuſmodi particulas ſine vulnere ſeparare, 28. 17.

In ſingulas has urſini renis partes, glandulas referentes, ſemper ramus venæ, arteriæ, ac vaſis urinarii inſeritur.

Quilibet ramus vaſis urinarii in latum finem deſinit: in quem alia glandula parva, acuta, & nonnihil depreſſa, ex ſubſtantia renis formata, inſtar operculi ei incumbens, ingreditur.

Vena, & arteria emulgens, 28. 20.

Vas urinarium, 29. 21.

Bubulus renis eſt fere ſimilis urſino; ſed tubercula glandulis ſimilia, non perinde in bove, ac in urſo dividi poſſunt.

Singula vaſa renis vitulini, antequam in glandulas, ſeu coagmentationes diſpenſentur, dividuntur in duos præcipuos ramos, quorum unus ſurſum, alter deorſum tendit.

In aliquibus fœtibus humanis, reperti fuerunt a nobis renes ſimiles bubulis, ut Ariſtoteles ſcribit.

FIGURA QUINTA.

Quandoque vidimus tres renes, unum ſcilicet in dextro latere, qui naturalis erat; duos vero præter naturam in ſiniſtro.

Alter ſiniſter renis præter naturam, admodum parvus; figuræ triangulæ, & ſatis depreſſæ; ſola ſubſtantia ſimilis ei, qui naturalis eſt, vaſe urinario, & arteria deſtituitur, 37. 25.

Alter renis ſiniſter præter naturam, in ſiniſtro ſpinæ latere ſitus eſt, & a ſummitate quartæ lumborum vertebræ, uſque ad oſſis ſacri initium producitur: eſtque in ſuperiori parte anguſtior, in humiliori latior; ac vas urinarium ex poſteriori ſui regione producit; quamvis hoc videri in figura non poſſit, 50. 21. & 59. 22.

Vena cava, 36. 16. & 50. 15. & 50. 18.

Arteria magna, 36. 19. & 47. 19.

Duæ venæ emulgentes dextræ, æquales & æque diſtantes, quæ arteriam in medio continent, 39. $\frac{1}{2}$ 13. & 39. $\frac{1}{2}$ 15.

Vas urinarium dextrum, 43. 12. $\frac{1}{2}$

Vena emulgens ſiniſtra, ſatis gracilis, elatiorem originem habens, quam dextra; quæ ſine ulla comite arteria tranſverſa procedit, 37. 18.

Vena ſeminaria ſiniſtra, 38. 21. $\frac{1}{2}$

Vena orta a cava, e regione ſecundæ lumborum vertebræ, quæ tranſverſa ſub arteria procedit, 43. 20.

Vena alia principium ſumens parum ſupra magnam cavæ venæ diviſionem in lumbo; quæ etiam ſub arteria tranſverſa procedit, & cum prædicta coit, 47. 21. $\frac{1}{2}$

Vena ex prædictis duabus conflata; quæ inſeritur in poſteriorem ſedem renis, verſus externum latus, 48. 22.

Arteria bipartita, ante ac retro in ſuperficiem ſiniſtri renis diſtributa, oritur antequam magna arteria in lumbo dividatur, 46. $\frac{1}{2}$ 20. $\frac{1}{2}$

Arteria altera, a ſiniſtro trunco magnæ diviſionis in lumbo principium ſumens; inſeritur in humiliorem renem ſiniſtrum ſimul cum vena, 48. 20. $\frac{1}{2}$

TABULA V.

FIGURA PRIMA.

PRima figura renem, & ejus vas urinarium per medium divisum ostendit.

Renis substantia circa ramos vasis urinarii, 7. 10. & 7. 22. 17. 10. & 17. 22.

Carunculæ extuberantes, instar acutæ glandulæ, seu papillæ mammillarum, extrema patentia ramorum vasis urinarii claudentes; quæ mediæ secundum ipsarum longitudinem divisæ sunt, ut cerni possint earum lineæ, hinc inde velut a centro ad circumferentiam protractæ; quarum caussa apparent ejusmodi carunculæ, ex pluribus quasi fibris concurrentibus contextæ, 8. 7. & 7. 18. & 8. 27. $\frac{1}{2}$

Vas urinarium cum suis ramis per medium divisum. In rene enim humano nulla alia est cavitas, præter illam, quam vas urinarium efficit, ob concursum suorum ramorum, 12. 10. & 12. 23.

Rami vasis urinarii per medium dissecti, in quorum extrema orificia, instar operculi incumbunt glandulæ parvæ, a substantia renum extuberantes, 6. 12. $\frac{1}{2}$ & 6. 14. $\frac{1}{2}$ & 8. 25. & 9. 18. & 9. $\frac{1}{2}$ 27.

Foramina vasis urinarii, quæ sine ordine distributa sæpe occurrunt; parvas quoque glandulas in internam cavitatem spectantes & ipsa admittunt; 7. $\frac{1}{2}$ 13. $\frac{1}{2}$ & 9. $\frac{1}{2}$ 18. & 10. 9. & 12. $\frac{1}{2}$ 27. $\frac{1}{2}$ & 15. 26.

Foramen, & via vasis urinarii extra renem procedens, 12. 16.

Vas urinarium extra renem deorsum tendens, 12. $\frac{1}{2}$ 1.

FIGURA SECUNDA.

SEcunda figura; venæ, arteriæ, ac vasis urinarii ramos per renis substantiam distributos ostendit.

Vena emulgens, postquam in renem ingressa est, in quatuor vel quinque scinditur ramos; qui in multos alios rursus divisi, per renis substantiam vario modo dispensantur; ac invicem permixti uniuntur; & denique in tenuissimos, visumque propemodum fugientes surculos cessant. Si enim renis incisus comprimatur, apparent multæ sanguinis guttæ ostendentes vasa, quæ cerni non possunt, esse dispersa per renis substantiam, 55. 20.

Arteria emulgens, quæ simul cum vena procedens, eandem, quam illa, habet distributionem, 56. 23.

In hac figura apparent rami trium vasorum, remota & abrasa tota renis substantia.

Vas urinarium, quamprimum in renem penetrat, dilatatur; ac in duas, quandoque in tres partes dividitur; quarum una sursum, altera deorsum tendit; ambæ vero in alios ramos, interdum quatuor, sæpe quinque, rursus dividuntur, quo fit, ut eorum divisiones octo, vel ad summum novem, aut decem sint, quæ in latum finem, instar coli rotundi desinunt, 52. 15.

Vas urinarium duas habet tunicas, in quarum exteriori disperguntur multæ venulæ tenues, & aliquæ etiam satis evidentes elegantissime dispositæ: quod in hac pictura ostendi non potuit.

Extrema orificia ramorum vasis urinarii; quorum quodlibet, ut diximus, a caruncula instar papillæ mammillarum, clauditur: circa quam unaquæque horum ramorum extremitas connascitur, & quibusdam fibris satis validis, alteque in substantiam renis infixis adhærescit, 48. 7. & 48. 27. $\frac{1}{2}$ & 41. 12. & 41. 26. $\frac{1}{2}$

TABU-

TABULA VI.

FIGURA PRIMA.

PRima figura oftendit renem caninum, per medium diffectum, abfque remotione alicujus particulæ.

Renis circumferentia, ejufdem fubftantiæ cum reliquo corpore, 5. 11. ½ & 5. 23. & 15. 10. & 15. 25. & 25. 12. & 25. 23.

Pars renis, lineis quibufdam fubalbis, ceu fibris a centro ad circumferentiam productis exculpta, 5. 13. & 5. 22. & 15. 11. & 15. 24. & 25. 13. & 25. 21. ½

Foramina quædam vaforum, quæ in renis divifione incifa fuerunt: anteriora enim cum pofterioribus connafcuntur, 7. 15. & 7. 20. ½ & 16. 14. & 16. 21. & 22. 15. & 22. 20. ½

Pars renis magis alba, & fubcinericia; diverfis in locis maculis quibufdam rubeis tincta; cavitatem renis, inftar fepti, per medium dividens, 8. 15. & 8. 20. & 15. 14. & 15. 21. & 23. ½ 15. & 23. ½ 20.

Portio cavitatis internæ renis, 13. 17. ½ & 17. 17. ½

Foramen & principium vafis urinarii, 15. 17. ½

FIGURA SECUNDA.

SEcunda figura oftendit renem caninum, detracta illa parte, quæ inftar fepti, per medium dividit cavitatem renis.

Partes renis, inter divifiones corporis membranei exiftentes, 37. 17. ½ & 44. 13. & 44. 22. & 52. 12. ½ & 52. 19. & 52. 21.

Corpus membraneum vafa operiens, eademque complectens, a quo cavitas renis magna ex parte efformatur, 41. 16. & 41. 19. & 45. 15. & 45. 20. & 49. 16. & 49. 19.

Rami prædicti corporis membranei invicem connati, qui vafa undique fub & fupra complectuntur, 39. 15. ½ & 39. 19. ½ & 45. ½ 13. & 45. ½ 22. & 49. ½ 14. & 49. 21.

Foramen & principium vafis urinarii, 45. 17. ½

TABULA VII.

FIGURA PRIMA.

REN caninus; a quo non solum detracta est pars illa, quæ cavitatem renis, instar septi dividit; sed etiam corpus membraneum, quod in alia figura vasis erat obductum, & cavitatem internam renis, magna ex parte, efformabat.

Substantia renis inter ramos vasorum, 24. 14. & 24. 22. & 29. 13. & 29. 23. & 37. 14. & 37. 19.

Rami venæ emulgentis satis ampli, tenuissimam tunicam habentes, 29. 18. & 30. 19. & 31. 18.

Rami arteriæ, simul cum ramis venæ distributi, quibus membrana subjacet, pinguedine referta; quæ continua est cum propria renis tunica; sicut pinguedo cum ea, quæ circa vasa extra renem est circumfusa, 29. 15. $\frac{1}{2}$ & 29. 16. $\frac{1}{2}$ & 27. 18. & 28. 19. $\frac{1}{2}$ & 31. 16. & 31. 20. & 34. 16. & 34. 18. & 34. 19. & 34. 21.

Prædicti rami venarum, & arteriarum invicem non coeunt; nec degenerant in tertium corpus, ut scribit Vesalius; sed venæ cum venis, arteriæ cum arteriis uniuntur.

Rami venæ & arteriæ passim distribuuntur per substantiam renis, & continentur a canaliculis, qui fiunt ex conjunctione corporis membranosi, & alterius membranæ: hi autem canales, instar vaginæ, manifeste apparent dispensari per renis substantiam.

Membrana prædicta vasis substrata; a corpore membranoso, quod iisdem vasis incumbere diximus, recisa, 26. 17. & 29. $\frac{1}{2}$ 15. & 29. $\frac{1}{2}$ 20. & 32. 15. & 32. 20. & 35. 15. & 35. 18.

In ea cavitate, quæ fit a corpore membranoso vasis incumbente, & a membrana iisdem substrata, multa pinguedo continetur, quæ ramis vasorum undique obducitur.

Foramen, per quod venæ & arteriæ in renem ingrediuntur; & vas urinarium extra procedit, 30. $\frac{1}{2}$ 17. $\frac{1}{2}$

FIGURÆ PARVÆ.

Duæ parvæ figuræ ad epistolam de organis auditus pertinentes, tria officula, in caverna ossis petræ similis recondita, & musculum motioni eorum præfectum ostendunt; superior quidem in homine, inferior vero in cane.

Officulum incudi simile, 8. 16. & 48. 19.

Officulum malleum referens, 9. 15. & 49. 20.

Officulum stapedi vocatæ comparatum, a Vesalio prætermissum, 9. 18. & 49. 18.

Musculus nemini Anatomicorum non incognitus, qui in majorem processum officuli malleum referentis inseritur, 11. 18. & 51. 16. $\frac{1}{2}$ In cane autem, non longe ab insertione, glandulam corneam adnexam habet. 44. 18. $\frac{1}{2}$

TABULA VIII.

FIGURA PRIMA, ET SECUNDA.

Prima & ſecunda figura, quasdam dextri brachii humani venas oſtendunt; & præſertim illas, quæ in profundo latitant.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 1. $\frac{1}{2}$ 10. & 2. $\frac{1}{2}$ 18.

Radix jugularis internæ, 1. 9. $\frac{1}{2}$ & 2. 17. $\frac{1}{2}$

Radix jugularis externæ, 1. 8. $\frac{1}{2}$ & 2. 16.

Truncus humerariæ & axillaris, 2. 7. & 3. 15.

Vena humeraria, 3. 4. & 3. 13.

Diviſio humerariæ parum ſupra cubiti flexum in duos ramos; quorum interior cum axillaris ramo conjunctus, communem venam efformat, 19. 3. & 20. 10. $\frac{1}{2}$

Propago prædicti interioris rami humerariæ, quæ in flexu cubiti jungitur cum profunda axillari, 22. 4. $\frac{1}{2}$.

Venæ communis ſuperficiariæ radix, 22. 4. & 22. 12.

Axillaris ſimul cum arteria, 4. 6. & 5. 13.

Axillaris parum ſupra internum humeri tuberculum in duos ramos diviſio; quorum exterior cum altero humerariæ ramo conjunctus communem ſuperficiariam conſtituit, 19. 6. & 20. 14.

Axillaris profunda, quæ plerumque oritur ſupra medium longitudinis humeri; & interdum altius, vel humilius, 10. 5. & 10. 12.

Axillaris profunda gemina eſſe ſolet, & arteriam hinc inde complecti. Interdum utraque ejus pars, in medio fere ductu in unam coit; deinceps illico bipartitur; & circa cubiti flexum iterum unitur, quod Veſalius ignorat, 11. 5.

Axillaris profunda, ſupra humeri medium, in duas partes arteriam utrinque complectens, dividitur; ex quibus circa cubiti flexum una efficitur, non ſolum, ut in ſecunda figura cernitur; ſed variis etiam modis, quorum nullus a Veſalio deſcribitur; aut pingitur, 11. 12.

Axillaris 21. $\frac{1}{2}$ 5. $\frac{1}{2}$; & 22. 13. profunda, in flexu cubiti aliquos ſurculos principiis muſculorum, qui oriuntur ab interno humeri tuberculo, tribuit: deinde cum ramo 22. 4. $\frac{1}{2}$ vel ab humeraria communem venam conſtituente; 23. 12. vel ab ipſa communi orta, conjungitur: de qua re Veſalius nimis petulanter Galenum reprehendit.

Congreſſus duarum memoratarum venarum, ſeu vena communis profunda, quæ videtur dividi in tres ramos, contra Veſalii opinionem, 22. 5. & 24. 12.

Humilior venæ communis profundæ ramus, juxta ulnam incedens, non ſemper unus eſt; ſed interdum geminus exiſtens (quod Veſalius non animadvertit) comprehendit in medio arteriam, & ſub muſculo in octavum brachialis os inſerto procedens, viciniſque ſoboles offerens, in internam manus ſedem diſpenſatur, & omnibus digitis, vel quatuor, vel etiam paucioribus, ſurculos offert, 24. 5. & 25. 12.

Elatior venæ communis profundæ ramus, juxta radium incedens, non raro ſicut humilior, geminus eſt; & ſub muſculo brachiali ad magnum digitum flectente deorſum procedens, viciniſque muſculis propagines offerens, in internam ſedem pollicis, vel indicis diſtribuitur, 25. 3. & 26. 10. $\frac{1}{2}$

Medius ramus venæ communis profundæ, qui a Veſalio nec deſcribitur, nec pingitur; inter muſculos ſecundum & tertium

tium digitorum internodium flectentes, totam membranei ligamenti ulnæ & radii longitudinem perreptans musculis ei incumbentibus surculos tribuit; & interdum geminus existens, arteriam hinc inde comprehendit, 24. 4. $\frac{1}{2}$ & 26. 11. $\frac{1}{2}$

Propago a prædicto medio ramo venæ communis profundæ, circa quartam ulnæ partem orta; quæ ligamentum membraneum ulnæ, & radii perforans, ad posteriora transit, & in musculos ab ulna procedentes, aliosque eidem incumbentes distribuitur: hæc propago, quæ interdum gemina est, & arteriam mediam comprehendit, oscitanter a Vesalio prætermittitur, 26. 3. $\frac{1}{2}$ & 27. 11.

Arteria cum axillari vena procedens, 2. $\frac{1}{2}$ 10. $\frac{1}{2}$ & 3. $\frac{1}{2}$ 18.

FIGURA TERTIA ET QUARTA.

Figura tertia & quarta aliquot venas & arterias dextri brachii simiæ demonstrat.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 6. $\frac{1}{2}$ 24. & 6. 33. $\frac{1}{2}$

Vena jugularis interna multo minor, quam externa, 6. 24. & 5. 33. $\frac{1}{2}$

Vena humeraria, quæ clavicula & musculo ab ea in primam costam inserto media comprehenditur; & juxta illius cum sterno articulum foras erumpit, 6. 23. & 5. 33.

Principium jugularis externæ ab humeraria sub clavicula procedens, 4. $\frac{1}{2}$ 22. $\frac{1}{2}$ & 4. 32.

Alterum principium jugularis externæ ab humeraria procedens, ubi claviculam præteriit, 4. 21. & 3. $\frac{1}{2}$ 30. $\frac{1}{2}$

Jugularis externa a duobus principiis enata, contra quam in homine, multo major est, quam interna; 2. 21. $\frac{1}{2}$ & 1. 31.

Humeraria a musculo deltoide, & ab eo, cui mammilla insidet, operta, 6. 20. & 5. 29. $\frac{1}{2}$

Divisio humerariæ supra cubiti articulum; 19. 18. & 18. 27.

Humerariæ ramus per exteriora cubiti distributus, 21. 18. & 20. 26.

Humerariæ ramus, qui circa medium cubiti, cum alio ab axillari enato coit, 20. 18. $\frac{1}{2}$ & 19. 27.

Axillaris simul cum arteria, eodem modo, quo in homine internus ejus ramus, profunda est; & sub primo musculo cubitum flectente arteriam comitem habens, usque ad cubiti flexum procedit, 7. 23. & 7. 31.

Ramus axillaris, qui per thoracis latus sub cute dispensatur, 9. 22. & 9. 31. $\frac{1}{2}$

Axillaris divisio non longe a cubiti articulo, 18. 21.

Ramus exterior axillaris arteriam comitem habens, qui cum alio humerariæ e regione extremæ partis carnosæ primi musculi cubitum flectentis, nimirum inter hunc musculum, & alium obliquum radii conjungitur, 19. 21.

Propago rami exterioris axillaris, per interiora cubiti in superficie dispensata, 22. 21. $\frac{1}{2}$

Propago, quæ 22. 19. $\frac{1}{2}$ interdum oritur ab externo ramo axillaris ad medium cubiti tendente; & 21. $\frac{1}{2}$ 27. quandoque a conjunctione ramorum axillaris & humerariæ, bipartito scinditur, deinceps sub cubiti flexu inter duos radii musculos extra erumpit, & a ligamento, quod instar membranæ omnibus musculis ea in parte obducitur, usque ad radii extremum fertur.

Propago, arteria interdum destituta, a conjunctione ramorum humerariæ & axillaris procedens, quæ sub obliquum radii musculum demergitur; & cum altero ramo profundo axillaris, juxta insertionem primi musculi cubitum flectentis conjungitur, 22. 19. & 21. $\frac{1}{2}$ 28.

Interior axillaris ramus, parum supra cubiti articulum ortus, qui profundus

juxta

juxta os cubiti ſimul cum arteria incedens, multas propagines vicinis muſculis offert; & tendinem primi cubitum flectentis non longe ab ejus inſertione conſcendens, ramo a conjunctione humerariæ & axillaris orto, occurrit; & communem profundam efformat, 20. 21. $\frac{1}{2}$

Inſignis ramus ex profunda, quam diximus, venarum conjunctione ortus, qui ſimul cum arteria juxta os ulnæ ſub muſculis digitos flectentibus latitans, medius inter duas propagines ab eadem conjunctione ortus, ad extremam manum procedit, 24. 20. & 23. 28.

Venæ axillaris diviſio, quæ ſicut in homine, ante medium longitudinis humeri, interdum fit, 11. 30.

Exterior axillaris, quæ, ſecus quam in homine, arteriam comitem habet; & a primo muſculo cubitum flectente non admodum profunda occultatur; ac parum ſupra cubiti articulum dividitur, 15. 30.

Rami humerariæ & axillaris exterioris conjunctio, juxta cubiti flexum, 27. $\frac{1}{2}$ 27. $\frac{1}{2}$

Exterioris axillaris ramus ſub cute diſtributus, 20. 30.

Interior & profundior ramus axillaris, qui a primo muſculo cubitum flectente occultatus, interdum, non aliter quam in homine, in duas propagines mediam arteriam comprehendentes, diviſus uſque ad inſertionem ejus muſculi fertur: juxta quam ipſum conſcendens, cum ramo a priori jam dicta humerariæ & axillaris exterioris conjunctione orto, coit; & venam communem profundam efformat: Unde facile eſt Veſalii ignorantiam arguere, qui hominis & ſimiæ convenientiam propter ejuſmodi venarum congreſſum turpiter ignorans, non minus temere, quam injuſte Galenum de eis reprehendit; 13. 29. $\frac{1}{2}$

FIGURA QUINTA.

Quinta figura præcipuas venas & arterias dextri brachii canis oſtendit.

Truncus dexter venæ cavæ in jugulo, 29. $\frac{1}{2}$ 34. $\frac{1}{2}$

Truncus humerariæ & jugularis externæ 29. 34.

Humeraria 29. 33. orta a jugulari externa, parva eſt; & e regione medii capitis humeri a muſculis occultata ad poſteriora quodammodo reflectitur; & quum ad finem muſculi deltoidis pervenit, a ramo 35. 30. axillaris, qui major ipſa eſt, adaugetur, aut potius conſtituitur.

Humeraria juxta primum muſculum flectentem cubitum incedens, 37. 29. $\frac{1}{2}$

Diviſio humerariæ ſupra cubiti articulum, 43. 29. $\frac{1}{2}$

Humerariæ ramus per exteriora cubiti diſtributus, qui fere ad inferius extremum radii bipartitur, & in manum diſpenſatur, 45. 29.

Ramus humerariæ, qui in flexu cubiti cum externo ramo axillaris conjungitur, 44. 30.

Vena jugularis externa, 28. 33.

Vena gracilis orta a jugulari externa, quæ in ſuperficie per poſteriora ſcapulæ deorſum incedens, juxta inferius & poſterius latus muſculi deltoidis jungitur cum alia inſigni vena orta ab axillari, 28. 31. $\frac{1}{2}$

Vena axillaris, 30. 34. $\frac{1}{2}$

Inſignis vena orta ab axillari juxta ejus principium, quæ ſub cervicem ſcapulæ ad poſteriora procedens, humerariæ conjungitur, & ipſam adauget, vel potius conſtituit, 32. 32.

Vena axillaris fere in ſuperficie incedens, inter quam, & arteriam nervi medii ſunt, 34. 32. $\frac{1}{2}$

Ramus axillaris pluribus ſurculis per muſculos cubitum extendentes in ſuperficie diſtributus, 42. 33.

Ramus inſignior axillaris, fere in ſuperficie

ad

ad flexum cubiti ſimul cum arteria incedens, qui cum ramo humerariæ conjungitur, 44. 32.

Surculus gracillimus inſignioris rami axillaris, qui in ſuperficie longioris radii muſculi fertur, 47. $\frac{1}{2}$ 30.

Tertius axillaris ramus, qui non longe ab alio, quem inſigniorem eſſe diximus, ſupra cubiti articulum ortus, profundus cum arteria incedit; & ſub inſertione primi muſculi cubitum flectentis, cum ramo a conjunctione humerariæ, & axillaris in flexu cubiti orto, unitur, 44. 32. $\frac{1}{2}$

Ramus 47. $\frac{1}{2}$ 30. $\frac{1}{2}$ conjunctione humerariæ & axillaris in flexu cubiti ortus, qui arteria deſtitutus, ſub obliquum radii muſculum demergitur, & in duos ramos dividitur; quorum interior cum tertio 47. $\frac{1}{2}$ 31. axillaris jam dicto ramo conjungitur; deinde 44. 31. $\frac{1}{2}$ tranſverſus juxta os ulnæ incedens, ſimul cum arteria fere uſque ad ulnæ extremum fertur. Exterior ramus, ut in pictura vides, diſpenſatur, 50. 30.

Gracilis arteria, ſimul cum ramo axillaris procedens, qui cum humeraria conjungitur, 45. $\frac{1}{2}$ 29. $\frac{1}{2}$

Arteria ſine vena ſub externo brachialis muſculo incedens, 56. 27.

FIGURA SEXTA.

Sexta figura dextrum cordis ventriculum ſecundum ejus longitudinem inciſum, cum tribus membranis orificio venæ cavæ præfectis oſtendit; & præterea internam partem auriculæ dextræ, quæ a vena cava, qua parte ei adhæret, diviſa eſt.

Membrana artificii & admirationis plena, nemini anatomicorum hactenus non incognita, quæ foramini venæ cavæ a jecore aſcendentis, quum primum hæc in dextram auriculam degenerat, præfecta eſt; nimirum dimidiatam partem, eamque anteriorem illius occupat, & deinceps reticulum efformat, 44. 15.

Membrana cornutæ lunæ figuram referens, orificio majoris venæ coronariæ, ceu operculum ultra medium obducta, quam ceteri anatomici oſcitanter prætereunt, 46. $\frac{1}{2}$ 15.

Superius orificium venæ cavæ ad jugulum aſcendentis, quæ, ut Galenus ſcribit, ab elatiori auriculæ dextræ extremo principium quodammodo ſumere videtur, 43. 23.

Cetera, quæ in hac figura continentur, ad præſentem tractationem non pertinent.

ANDREÆ MAXIMINI
EXPLICATIO
TABULARUM ANATOMICARUM
BARTHOLOMÆI EUSTACHII

TABULA IX.

Exhibet universum corpus cum artubus, & reseratis ventribus, ut contenta viscera in situ naturali facile animadverti possint.

Communibus capitis tegumentis, cranio, atque dura matre resectis, dextrum cerebri hemisphærium usque ad inferiora detectum est, in cujus superficie apparent venæ ex infima parte provenientes, quæ ascendendo alios semper ramos accipiunt, & suis truncis ad sinum longitudinalem duræ matris procedunt.

In medio ventre, seu thorace, detractis sterno, & costarum portionibus cum omnibus tegumentis, & musculis, pulmones observantur in duos magnos lobos divisi, quorum dexter 20. 25. in alios tres lobulos, quos *Celsus* fibras nominat; sinister vero 20. 33., qui minor est, in duos dispertiuntur.

Glandula thymus in suprema ossium sterni parte 17. 29.

Pleuræ portiones, quæ mediastinum constituunt 22. 28. & 22. 29. $\frac{1}{2}$

Locus, quem occupat pericardium 23. 29.

Diaphragma ab altero latere corporis 26. 22. usque ad alterum 26. 35. truncatum.

In Abdomine, sive infimo ventre sese offert hepar, in cujus medio nascitur ligamentum 27. 28., latum nominatum, quo hepar suspenditur diaphragmati.

Umbilicus 33. 29., cui, quasi clavo, affiguntur quatuor ligamenta; superius scilicet hepatis ligamentum rotundum, olim vena, quod cum præfato ligamento lato conjungitur, & hepatis incisuram 29. 28. $\frac{1}{2}$ penetrat; inferius duo ligamenta, in fætu arteriæ, ligamenta iliaca nominata 40. 26. & 40. 31. $\frac{1}{2}$, & urachus 37. 29. ad vesicam urinariam.

Ventriculi inferior pars a 30. 27. ad 28. 34. cum suis vasis, ex ramis gastroepiploicis propagatis, sub hepate apparet.

Omentum, quod à fundo ventriculi a 31. 26. ad 29. 34. se dimittit ante intestina cum suis venis, & arteriis. Mox sub fundo ventriculi intestinum colon ab omento tectum eminet. Ubi desinit omentum, apparet intestinum ileon, & fundus vesicæ urinariæ 41. 39. cum uracho, quo vesica umbilico adnectitur.

TABULA X.

Demonstrat pleraque viscera in abdomine contenta, & potissimum, quæ ad primam alimentorum coctionem, & fæcum exclusionem conferunt.

FIGURA PRIMA.

EXponitur Oesophagus statim infra pharyngem resectus, cum ventriculo ex anteriori parte.

Exterior ventriculi membrana reflexa 45. 12.

Secunda membrana ventriculi muscularibus fibris donata, 45. 15.

Membrana ab externa ventriculi producta, pylorum, atque intestini duodeni principium hepati adnectens 39. 5.

Similis externæ ventriculi membranæ continuatio, quæ ad pancreas pertinet 39. 11.

Peritonæi propago, qua ostium superius ventriculi, cardias appellatum, diaphragmati adhæret, 35. 16.

FIGURA SECUNDA.

OStendit primo hepatis partem concavam ab anteriori parte elevatam, ubi Ligamentum rotundum, in quod mutata fætus vena umbilicalis 6. 27.

Vesicula fellis 5. 21.

Ductus cysticus 10. 23.

Ductus hepaticus 11. 24. $\frac{1}{2}$

Ductus choledocus 13. 24.

Arteria hepatica, quæ sub ingressu in hepar, in duos ramos dividitur 11. 25. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXVII. *Fig.* 1. & 2.

Vena portæ 12. 24. $\frac{2}{1}$ Reliqua inferiora viscera in naturali positione ab anteriori parte exhibentur.

Ventriculus 13. 35. cum suis vasis, ex ramis gastroepiploicis, & coronariis, proficiscentibus, *Vid. Tab.* XXVII. *Fig.* 2.

Venæ, & arteriæ gastroepiploicæ, quæ ventriculi fundum describunt, 18. 34. de his *Vid. Tab.* XXVII. *Fig.* 2. & 4.

Lien 12. 42.

Mesocolon cum suis venis, arteriis, & glandulis mesocolicis 17. 21. usque ad 19. 36.

Intestinum colon, quod incipit ab inferiori lateris dextri parte 28. 18., & sursum ascendendo, suo flexu sigmoideo primo, fertur sub ventriculum 19. 20.

Unum ex tribus ligamentis, quæ per intestini coli longitudinem percurrunt 21. $\frac{1}{2}$ 17. $\frac{1}{2}$ & 21. $\frac{1}{2}$ 30.

Intestinum jejunum sub colo per abdominis centrum revolutum.

Intestinum ileon inferiorem partem occupans, & ad latera potissimum serpens.

Intestini coli flexus sigmoideus tertius, circa pelvim 41. 32., & flexus sigmoideus quartus 35. 30.; unde incipit rectum intestinum.

Intestinum rectum, 38. 28.

Unum ex tribus intestini coli ligamentis, in intestino recto latescens 36. 28., quod cum reliquis duobus ligamentis, similiter latescentibus, conjunctum, vaginam recto intestino ex fibris rectis musculosis constantem efformat. Hanc ligamentorum intestini coli, quæ rectis fibris per ejus longitudinem porriguntur, conjunctionem

clarius exhibet *Fig.* 5.

Mufculi elevatores ani, 43. 26. & 43. 31.

Mufculus ani fphincter 46. 29.

Locus, ubi in viris glandula proftata adjacet, 44. $\frac{1}{2}$ 29.

Ani orificium, 47. 29.

FIGURA TERTIA.

OEfophagus cum ventriculo, inteftino duodeno, & pancreate a parte pofteriore.

Inteftinum duodenum ubi a ventriculo incipit, qui locus extrinfecus per ambitum ftrictior eft, 41. 53.; intufque hæret id ventriculi oftium, quod pylorus appellatur.

Pancreas partim deductum pone ventriculum, 43. 50., partim ad duodenum reclinatum, 48. 49.

Ductus choledochus truncatus, 46. 51., qui procedit per pancreas, & in duodenum penetrat.

FIGURA QUARTA.

INteftina craffa a parte anteriori in fitu naturali accommodata.

Inteftini ilei extremum truncatum prope colon., 67. 8.

Inteftinum cæcum, 64. 4., quod crafforum eft caput.

Appendix vermiformis, 68. 7.

Inteftini coli principium, 65. 4. Hoc inteftinum, ambiens tenuvium circumferentiam, quatuor habet flexus, figmoideos appellatos. Primus flexus figmoideus, 59. 4., qui eft fub hepate. Secundus 56. 25. juxta lienem. Tertius 79. 20. circa pelvim. Quartus 73. 17., unde inteftinum rectum incipit.

Inteftinum rectum, 78. 15.

Mufculi elevatores ani, 83. 14. & 83. 18.

Mufculus ani fphincter in ejus medio tranfverfim incifus apparet, 85. $\frac{1}{2}$ 16. quo *Euftachius* fubftratæ, ex conjunctione ligamentorum coli, recti inteftini mufculofæ vaginæ fibras rectas oftendit, aliumque in extremo ani mufculum fphincterem cutaneum *Galeni* indicat, 86. $\frac{1}{2}$ 16.

FIGURA QUINTA.

EAdem craffa inteftina, fimiliter ab anteriori parte. Varietates autem nonnullas, quæ aliquando obfervari folent, tum in fitu capitis inteftini coli, tum in flexibus figmoideis, tum in ejufdem coli ductu, & progreffu per abdomen, hæc figura exhibet; quæ omnia cognofcere quifque facile poterit, fi hanc cum proxime præcedenti figura conferat.

Appendix vermiformis, ejufque continuatio cum inteftino cæco 66. 30.

Vagina mufculofa inteftini recti ex unione trium ligamentorum coli orta, & fibris rectis ufque ad ani extremum protenfa, 78. 42.

TABU-

TABULA XI.

Proponit videnda alia etiam abdominis vaſa, & viſcera coctioni, motui, & ſeparationi liquidorum deſtinata.

FIGURA PRIMA.

MEſenterium cum venis, arteriis, & glandulis meſeraicis, inteſtiniſque a medio quaquaverſus in ambitum reclinatis.

Inteſtinum colon in ſuperiora adactum.

Inteſtinum jejunum, & ileum in ambitum revoluta.

Inteſtini coli flexus ſigmoideus tertius in ſitu naturali, in quo cernitur unum ex tribus ſuis ligamentis, 27. 21.

Inteſtinum rectum truncatum 30. 16.

Meſenterium explicatum ubi apparent

Arteria meſenterica ſuperior 8. 15. $\frac{1}{2}$

Vena meſenterica, 8. 14. $\frac{1}{2}$, quæ arteriæ conjuncta ſuos ramos quaquaverſus in meſenterii ambitum diſtribuit. *Vid. Tab.* XXVII. *Fig.* 2. & 4.

Glandulæ per meſenterium diſſeminatæ.

FIGURA SECUNDA.

MEſenterium, & meſocolon cum glandulis, & plicis ita diſpoſitis, ut inteſtinis connectendis, debitoque firmandis ordine pares fiunt. Oſtenduntur ſitu naturali a parte anteriori.

Pancreas, 3. 45.

FIGURA TERTIA.

HEpar ab anteriori parte, quæ eſt convexa, ſitu naturali.

Ligamentum latum, 38. 10., quo hepar ſuſpenditur diaphragmati. Latum hoc hepatis ligamentum integrum exhibetur, ex quo intelligitur, quomodo id è regione hepatis fiſſuræ, ubi prope mucronatam cartilaginem peritonæo adnaſci incipit, maxime fit latum 38. 10., ſurſumque poſterius, qua ſepto accreſcit tranſverſo, gradatim anguſtatur 32. 11., veluti recte obſervavit *Morgagnus*, qui pariter adnotavit quam nitidè *Euſtachius* exhibuerit partem hujus ligamenti internam, atque ipſius uſque ad umbilicum cum peritonæo coalitum; ita nimirum, ut hujus ope, vena umbilicalis ad portarum venam tuto duci poſſit, quemadmodum diſtinctius ſequenti oſtenditur figura.

Ligamentum rotundum, 45. 14. $\frac{1}{2}$ ab umbilico procedens, quod in fætu eſt vena umbilicalis. Hoc ligamentum, priuſquam ad hepar perveniat, cum ligamento lato, ſive ſuſpenſorio hepatis, conjungitur, & in cavo fiſſuræ magnæ, qua hepar in duas partes, dextram ſcilicet majorem, ſiniſtram minorem, diviſum eſt, inſeritur.

FIGURA QUARTA.

HEpar a parte concava.

Ligamentum ſuſpenſorium, quod hepatis partem ſiniſtram adnectit diaphragmati, 29. 35.

Ligamentum ſuſpenſorium, dextram hepatis partem diaphragmati adnectens, 28. 54.

Spatia indicantur, ubi ipſum hepar diaphragmati affixum retinetur. Adnotandum, quam

quam latè hæc connexio, vel quasi continuitas sub diaphragmate sese expandat in dextro latere, 30. 50., quamque exigua sit in sinistro, 28. 41., ne subjecti ventriculi expansiones impediret.

Vena cava inferior, supra, & infra hepar resecta, 28. 44.

Isthmus exiguo spatio venam cavam obtegens, 28. 45.

Eminentia, ubi vena portæ hepar ingreditur, porta dicta, 34. ½ 44.

Lobulus *Spigelii*, 33. 47.

Vena portæ sub hepate rescissa, 35. 46.

Ductus hepaticus ex hepate veniens, 36. 45., cujus rami per totum hepar distributi, pori biliarii dicuntur.

Ductus cysticus ex vesicula fellis, 38. 47.

Ductus choledochus hepatico, & cystico communis, 39. 44.

Vesicula fellis, 45. 47.

Peritonæi productio, qua in dextri renis regione intestinum duodenum, & colon hepati alligantur, 44. 50.

Ligamentum rotundum incedens in sinum hepatis, 39. 41. ½

Ligamentum latum, rotundo per longitudinem adhærens, 46. 42.

FIGURA QUINTA, SEXTA, SEPTIMA, ET OCTAVA.

Lienis, forsitan ordinarii, & extraordinarii, varii aspectus, ejusque ligamenta dipinguntur. In septima figura aliquod vas lymphaticum subindicatum esse ab *Eustachio* putavit *Lancisius*; neque ab hac sententia dissentit *Georgius Martinius* in suis commentariis.

FIGURA NONA.

Lienis pars sinuata, quæ ventriculo adjacet; ubi situs indicatur, qua arteriæ, venæ, & nervi lienem ingrediuntur.

FIGURA DECIMA.

Renem a parte gibba simam versus dissectum, & apertum, exponit.

Tubuli tanquam filamenta a corticali hujus visceris substantia orti, 78. 26., & 80. ½ 24., & in fasciculos radiatim concurrentes ad papillas uriniferas octo, 78. 27. & 80. ½ 27., quæ in pelvim se aperiunt.

Pelvis angustior facta, & in ureterem abitura, 81. 28. ½

FIGURA UNDECIMA.

Urethram virilem, & vesicam urinariam a parte posteriori per longitudinem incisam, & apertam ostendit.

Ureteres, 72. ½ 41., & 72. ½ 50.

Ureterum ostia, quibus in vesicæ concavum patent, 73. ½ 46. & 73. ½ 47.

Vasa deferentia cum adnexis vesiculis seminalibus, 74. 42. & 74. 49.

Urethræ corpus spongiosum, quod bulbus urethræ à recentioribus nuncupatur, 76. 44., & 74. 29.

Prope vesicæ urinariæ collum glandula prostata, & caput gallinaginis per eorum longitudinem in duas partes divisa, quodammodo apparent.

Glans, 88. 46.. Ejus substantiam ex reflexo urethræ corpore cavernoso constare proponitur; quemadmodum adnotavit *Ruyschius*.

TABULA XII.

Verſatur in demonſtrandis organis, quæ ſecernendo, colligendo, excludendoque tam lotio, quam ſemini famulantur.

FIGURA PRIMA.

HUjus figuræ, quoad renes ſuccenturiatos, truncum arteriæ aortæ, & venæ cavæ, arterias, & venas emulgentes, earumque ramos, explicationem dedit ipſe *Euſtachius Tab.* 1. *Fig.* 1.

Ureteres, 10. 8. & 10. 15. $\frac{1}{2}$ Horum a renum pelvi uſque ad latera veſicæ urinariæ verus ductus, litteram S repræſentans, conſiderandus.

Arteriæ ſpermaticæ ab aortæ trunco 9. 11., & 9. 14.

Vena ſpermatica dextra à trunco venæ cavæ, 9. 10.

Vena ſpermatica ſiniſtra à ſiniſtra vena emulgente, 9. 15.

Præter plurimos in his vaſis ſpermaticis reciſos ſurculos, qui ad peritonæum, aliaſque proximas partes divertunt, varias etiam arteriæ, & venæ conjunctiones 15. 8. $\frac{1}{2}$ & 13. 15. $\frac{1}{2}$ & 22. 18. $\frac{1}{2}$ variaſque ramorum mutuas inter ſeſe communicationes delineavit *Euſtachius*; quibus non venarum, & arteriarum inoſculationes, ſed meras uniones earum tunicarum oſtendere voluit: neque communicationes ramorum veras eſſe anaſtomoſes, ſed diramationes, quæ tantummodo per tunicas comitis vaſis digeruntur; quemadmodum in hujus tabulæ commentariis monuit eruditiſſimus *Georgius Martinius*.

Arteriæ iliacæ, 16. 11. & 16. 14.

Venæ iliacæ, 18. 9. & 18. 13.

Arteriæ hypogaſtricæ, 24. 10. & 24. 14.

Venæ hypogaſtricæ, 25. 9. & 25. 15.; quæ reticulato plexu per veſicam excurrunt.

Venæ ab hypogaſtricis proficiſcentes 29. 8. & 29. 16. $\frac{1}{2}$ Hæ cum inſigni vena, ex plexu reticulari veſicæ, ante proſtatam, nata, conjunguntur, 34. 12., ex qua conjunctione oritur magna vena, ab *Albino* azyca pænis nominata, quæ per penis dorſi longitudinem excurrit, 39. 12. $\frac{1}{2}$

Arteriæ ab hypogaſtricis oriundæ 29. $\frac{1}{2}$ 8. $\frac{1}{2}$ & 29. $\frac{1}{2}$ 16., quæ ad anteriorem partem radicis penis decurrunt; inde utrinque per dorſum penis ordinatim ramoſæ delabuntur, mediam venam amplexæ, 39. 12. & 39. 13.

Veſica urinaria, in cujus fundo urachus reciſus, 25. 12.

Glandula proſtata, ſive proſtatæ, 34. 11. & 34. 13.

Capita corporum cavernoſorum penis, 38. 10. & 38. 15.

Bulbus urethræ, 38. 11.

Vaſa deferentia, 32. 6., & 32. 18.

Epididymides, 38. $\frac{1}{2}$ 5. & 38. $\frac{1}{2}$ 19.

Teſtes, 41. 6. & 41. 19.

FIGURA SECUNDA.

TEſtis ſua membrana albuginea involutus, cum vaſis, quæ per eam divagantur.

Epidi-

Epididymis, 5. 28.
Vas deferens, 7. 31.
Vena, & arteria ſpermatica, 2. 29.

FIGURA TERTIA.

HÆc figura, quoad renes, truncum arteriæ aortæ, & venæ cavæ, vaſa emulgentia, & ſpermaticorum principia, reſpondet *Fig.* 2. *Tab.* III.

Inferior autem ejus pars ureteres, & vaſa ſeminalia a veſica urinaria, conterminiſque partibus reſecta, ſitu naturali, in conſpectum ponit.

Ureteres juxta veſicam urinariam diſciſſi, 30. 43. $\frac{1}{2}$ & 30. $\frac{1}{2}$ 46. $\frac{1}{2}$

Veſiculæ ſeminales, 32. 44. & 32. 46.

Caput gallinaceum, ſive gallinaginis dictum, ubi apparent oſtia duo, per quæ vaſa ejaculatoria ſemen in urethram deferunt, 34. 45.

Vaſa deferentia, quæ deſinunt in veſiculas ſeminales 35. 39. & 35. 50. $\frac{1}{2}$

Vaſorum ſpermaticorum funiculi, 35. 39. & 35. 5., ad quos ſe adjungunt vaſa deferentia.

Teſtes, 40. 39. & 40. 51.

Epididymides, 38. 38. & 38. 52.

FIGURA QUARTA.

HUjus figuræ explicationem vide in *Fig.* 5. *Tab.* IV.

FIGURA QUINTA.

IDem teſtis, qui in *Fig.* 2., ſed a parte poſtica, repræſentatur, quo totus epididymis cum vaſorum ramis ad eum, & ad vas deferens pertinentibus, apparet.

FIGURA SEXTA.

TEſtis, a quo tunica albuginea detracta eſt, ut ingreſſus vaſorum ſanguiferorum, quæ ex tunica in ejus ſubſtantiam procedunt, appareret.

Pulpa teſtis nuda, quæ per inſcriptas lineas capillares in particulas diſtinguitur, 50. 14.

Tunica albuginea, ex qua vaſa, quæ ad teſtis pulpam progrediuntur, 50. 10.

FIGURA SEPTIMA.

HUjus figuræ ſuperior pars coincidit cum *Fig.* 3. *Tab.* I. Pars autem inferior veſicam urinariam revolutam exhibet, quo ejus, & penis poſtica pars in conſpectum venit.

Ureter ſiniſter, cujus inferior pars una cum veſica inverſa eſt, 64. 30.

Veſicæ urinariæ pars poſterior, 68. 32.. Apparent in ea lacerti carnei variè, & quoquoverſus diſtributi, muſculoſam veſicæ tunicam efficientes, quam tunicam, muſculum urinæ detruſorem appellavit *Spigelius*.

Vaſa deferentia, 69. 27. & 72. 34. $\frac{1}{2}$

Veſiculæ ſeminales 71. 32. & 70. 30.

Proſtata, 72. 30.

Capita corporum cavernoſorum penis, 74. 27. & 74. 31.

Muſculi acceleratores, 74. 29. $\frac{1}{2}$ & 74. 30.

Urethra, 76. 28. $\frac{1}{2}$

FIGURA OCTAVA.

TEſtis per longitudinem bifariam ſectus proponitur, cujus pulpa lineis capillaribus in particulas diſtincta apparet, quemadmodum *Arantius*, & *Riolanus* adnotarunt: atque etiam quomodo vaſa ſanguifera per ejus decurrant ſubſtantiam, oſtenditur.

FIGU-

FIGURA NONA.

Superiorem hujus figuræ partem, ejusque explicationem exposuit auctor *Tab.* III. *Fig.* 1.

In inferiori autem parte, productis iliacis, & abscissis hypogastricorum truncis, 73. 10. & 73. 15., eorumque omnibus ramis ablatis, vasa tantummodo demonstrantur, quæ per pubem, & scrotum disseminantur; quorum venæ à saphænis, 82. $6.\frac{1}{2}$ & 82. 18., arteriæ verò ac ruralibus exoriuntur.

FIGURA DECIMA.

Vid. explicationem auctoris *Tab.* III. *Fig.* 3.

FIGURA UNDECIMA.

Vid. *Tab.* 4. *Fig.* IV.

FIGURA DUODECIMA.

HÆc est *Fig.* 2. *Tab.* III., præter unam arteriam mesentericam inferiorem.

TABULA XIII.

Detegit renum, uteri, vaginæ, veſicæ urinariæ, & eorum ligamentorum, figuram, & vaſa.

IN dextro hujus figuræ rene vaſa per internam ejuſdem ſubſtantiam diſperſa perfectiſſimè, & ſecundum verum naturæ modum proponuntur, quæ triplicis generis ſunt; arterioſa nempe, venoſa, & urinaria. Verum quoniam hujus iconis explicationem dedit Auctor *Tab.* v. *Fig.* 2.; ad eandem lectorem jure merito rejiciendum eſſe putavimus.

In ſiniſtro rene obſerventur venæ, quæ à ſuperficie ejus extimi involucri ſanguinem in emulgentem exonerant, cum in præcedentis Tabulæ *Fig.* 1. demonſtraſſet eaſdem venas a rene dextro in cavam liquida referentes: harum vero delineationes, ac notas habemus *Tab.* 1. & 2.

Externa facies uteri, ac vaginæ, ſuis cum ſanguineis vaſis, oſtenditur.

Ex anteriori aortæ facie duæ utrinque exurgunt arteriæ, ſpermaticæ dictæ; dextra nempe, 19. 30. & ſiniſtra, 19. 34. quæ ab earum origine divergentes, deſcendendo, ſanguinem ovariis, utero, ac vaginæ impertiuntur. Ab horum vaſorum exortu uſque ad uteri cornua animadvertere licet hinc inde diſſectos ſurculos, quos in eorum decurſu emittunt. Hæc ſane diligentia in aliorum Anatomicorum tabulis omnino deſideratur.

Vena ſpermatica dextra in truncum venæ cavæ ſe exonerans, 18. 26.

Vena ſpermatica ſiniſtra in media, & inferiori parte ſiniſtræ emulgentis inhærens, 18. 36.

Præter horum vaſorum ſpermaticorum plurimos ſurculos, conjunctiones quoque, & connexiones cum arteriis per membranulas, 40. 38. & 53. 22., medioſque canales, 37. 21. & 39. ½ 20. ½, ut in tabula præcedenti adnotavimus, nitidiſſimè cernuntur.

Arteria aorta, 33. 30. & vena cava 33. 25. in duos truncos, iliacos dictos, diviſæ; ex quibus non tenues rami procedunt, unde venæ, 60. 22. & 60. 37., nec non arteriæ, 56. 21. & 56. 38., hypogaſtricæ nominatæ, quæ ad uterum, vaginam, & veſicam pertinent.

Adnotandum inſuper eſt mirabile artificium circa reliqua vaſa, quæ ad uterum, ejuſque vaginam, clitoridem, atque urinariam veſicam propagantur: nam non tantummodo demonſtrantur oriri a truncis aortæ, & cavæ; verum etiam ab inferioribus ſectionibus iliacarum, nempe ab hypogaſtricis, à quibus canales mirè divaricantur, 70. 22., & 71. 35., & ad anteriorem veſicæ partem uniuntur, ex quorum unione fit vena decurrens ad clitoridem, 79. 29.

Clitoris, 86. 29.

Crura clitoridis, 84. 27., & 84. 30.

Muſculi erectores clitoridis, 84. 24. & 84. 33.

Vaginæ pars, quæ eſt ante exitum urethræ, 80. 30. & ſub clitoride in nymphas, 85. 28. & 85. 31. definit.

Veſica urinaria, 70. 29., in cujus fundo reciſum urachi ligamentum, 68. 29. apparet.

Vaginæ pars ſupra veſicam, quæ utero adnectitur, 80. 29.

Uterus, 60. 29.

Illud vero peculiari animadversione dignum censemus, quod *Eustachius*, non modo genuinam hic structuram rotundorum ligamentorum elegantissime dederit; mixtam scilicet ex fibris longitudinalibus, & sanguineis vasis serpentino ductu, ex epigastricis venis, arteriisque, 74. 15, & 74. 41. prodeuntibus: verum etiam varietates, quæ non raro in diversis cadaveribus offendi solent, in conspectum nobis ponere non prætermisit; quare ut naturæ inconstantiam, in horum ligamentorum textura exponeret, uno modo serpentinum vasorum ductum in dextra parte, alio diverso in sinistra depinxit. Hæc nitidissima figura satis demonstrat, recentiores etiam scriptores, ipsumque *Svamerdamium* a nostro Auctore hac in exponenda re præventos, ac superatos fuisse.

TABULA XIV.

Exhibet uterum, placentam, & fœtum non humanum modo, sed etiam pecudum, suis cum membranis, & cotyledonibus.

FIGURA PRIMA.

IN situ naturali à communibus denudatum tegumentis ostendit clitoridem 11. 28. $\frac{1}{2}$, cum suis cruribus, ac musculis erectoribus 14. 27. & 14. 30., nec non ossium pubis sycondrosim, 10. 29.

In externo pudendo observentur fibræ carneæ, quæ ab ani sphinctere, 17. $\frac{1}{2}$ 28. $\frac{1}{2}$ per cunni latera 15. 28., & 15. 29. summam partem versus, atque clitoridem porriguntur: quare ansam nobis id præbet asserendi, musculos labrorum vulvæ, a *Riolano* primum descriptos, sed à *Graaffio* potissimum demonstratos, jam *Eustachio* clarè innotuisse.

In reserata abdominis inferiori regione, quæ pelvis audit, in conspectum veniunt,

Intestinum rectum, 4. 29.

Venæ, & arteriæ spermaticæ 4. 25., & 4. 31. $\frac{1}{2}$

Tubæ Falloppianæ, 5. $\frac{1}{2}$ 25., & 5. $\frac{1}{2}$ 32.

Ligamenta rotunda, 9. $\frac{1}{2}$ 25., & 9. $\frac{1}{2}$ 32.

Ligamenta lata, sive alæ vespertilionum, 7. 25., & 7. 32.

Venarum, & arteriarum epigastricarum, 8. 21. $\frac{1}{2}$, & 8. 35. propagationes usque ad uteri fundum per ligamenta rotunda procedentes, 6. $\frac{1}{2}$ 26. $\frac{1}{2}$ & 6. $\frac{1}{2}$ 30. $\frac{1}{2}$

Vesica urinaria peritonæo obducta, 8. $\frac{1}{2}$ 28.

FIGURA SECUNDA.

DEmonstrat vaginam integram usque ad nymphas cum clitoride, ejusque cruribus, ac musculis, ut in *Tab.* XIII.; nec non superincumbentem vesicam urinariam, quæ in hac figura ad lævam est inclinata, ut colli ejusdem vesicæ in vaginam, & ureterum, 43. 12., & 45. 12. in vesicam, insertiones paterent.

Uterum cum transversim utrinque dissectis ad ejus fundum tubis Falloppianis 24. 5., & 24. 15., & rotundis ligamentis 25. 5., & 25. 15., in superiori parte exponit.

FIGURA TERTIA.

PAtefacit eandem vaginam, & uterum parte posteriori per longitudinem dissecta, ut partem anteriorem ex interna facie exhiberet.

In uteri sectione consideranda ejus cavitas triangularis, cujus duo superiores anguli ab uteri fundi lateribus pervii in tubas abeunt 24. 25. & 24. 33.; inferior verò angulus in uteri cervicem hiat, 29. 28. $\frac{1}{2}$

Cavum cervicis uteri inæquabile, & uterum versus angustatum, 35. 29.

Pars insigniter rugosa, & prominens, unde urethræ, sive meatus urinarii exitus in vaginam, 48. $\frac{1}{2}$ 29.

FIGURA QUARTA.

UTero & vagina per longitudinem, ut in mox expofita tertia figura, divifis, eorum pars interior priori adverfa in confpectum venit; ubi tranfverfales rugæ in vaginæ extrema parte, qua anum refpicit, adnotandæ.

FIGURA QUINTA.

DElineat humanam placentam, 65. 10. quemadmodum poft partum extruditur, eamque videndam exhibet, qua parte utero adhærefcit, & membranæ, ubi embrio continetur, 64. 5. & 64. 15., chorion dictæ, conjunctam.

FIGURA SEXTA.

DEmonftrat fætum, capite in genua procumbentem, quem fitum plerumque intra uterum fervat, ejufque funiculum umbilicalem 65. 21., partim nudum, partim apparentem per membranam, amnion nominatam 65. 26., ex qua in chorion 65. 30. penetrat.

Chorion ab amnio fejunctum, & inverfum, ut oftenderet diramationes venæ, & arteriarum funiculi umbilicalis 65. 31., quæ per internam chorii fuperficiem ludunt.

FIGURA SEPTIMA.

SEcundæ caninæ integræ cum fætu; ubi vafa, quæ per chorion decurrunt, atque placentam, zonæ fimilem, in medio 63. 48. adnotamus.

FIGURA OCTAVA.

EÆdem fecundæ caninæ divifæ, ubi chorion, 80. 16.

Allantoides, 80. 10.

Amnios 80. 7. fætum continens feorfim infpicitur.

FIGURA NONA.

VAccinæ, aut ovillæ fecundæ integræ repræfentantur: fed in hac figura adnotandum maxime eft artificium, quo natura in hujus generis animantibus fanguinem ex matris utero ad fætum tranfmittit: nam non unica ineft placenta, fed plurimæ huc illuc per chorii fuperficiem difperfæ funt placentulæ, quæ cotyledones ab Anatomicis vocantur; ex quibus arteriæ, & venæ ad funiculum umbilicalem difcurrunt.

Locus præterea apparet, in quo definit intus ad chorion funiculus umbilicalis, 80. 32.

FIGURA DECIMA.

SImiles fecundæ vaccinæ, aut ovillæ incifæ, & explicatæ, ubi pars chorii 82. 41., in qua apparent placentulæ, ut in *Fig.* 9.

Amnios, 81. 53.

Fætus, 75. 50.

Funiculus umbilicalis, 79. 49.

Vafa, quæ è funiculo umbilicali exeuntia decurrunt per chorion 81. 47., pertinentque ramis fuis ad placentulas.

Urachus, qui a fune umbilicali exiens dilatatur 82. 47., & fit allantoides 86. 45.

Hos pecudum fætus cum membranis, & placentulis, five cotyledonibus juxta naturæ ftatum primus obfervavit, & delineavit *Euftachius*; licet poftea grandioribus iconibus plurimas, optimafque de his cotyledonibus figuras in publicum emiferit *Fabricius ab Aquapendente* in fuis operibus anatomicis.

TABULA XV.

Diverſos, tum laryngis, trachea, pulmonum, & diaphragmatis; tum cordis, & magnorum vaſorum aſpectus demonſtrat.

In hac Tabula non numerorum ſeriem, ſed figurarum ordinem eſſe ſequendum putavimus.

FIGURA PRIMA.

EX anteriori parte larynx delineatur, in qua epiglottis, 2. 12.

Cartilago tyroidea, 4. 12.

Cartilago cricoidea, 5. 12.

Aſpera arteria, 7. 12.

Glandula tymus, 11. 12., ex qua utrinque venarum ſubclaviarum principia exurgunt.

Pulmonum anterior facies, quorum dexter lobus 15. 6. in tres partes diſcinditur: ſiniſter verò 15. 16. in duas, ubi lunatus defectus 21. 17. inſpicitur, cordis mucroni cedens; unde in hac regione, cum deſit pulmo, cordis ictus percipiuntur.

Mediaſtinum reſciſſum, 17. 11. & 17. 13. $\frac{1}{2}$

Inter utrumque pulmonem, & mediaſtinum, ineſt pericardium ad ſiniſtrum latus protenſum 21. 15., cor continens, cum ſubjecto diaphragmate 23. 12. à thorace per ambitum reſciſſo.

FIGURA QUARTA.

FIgura iſthæc ordine partium poſt primam ſequitur; exhibet enim eadem viſcera, pariter à parte anteriori; ſed tamen glandula tymus, & mediaſtini reliquiæ remotæ ſunt, pulmones vero in latera reclinati, ut cor pericardio vaginatum, vena cava ſuperior, & arteria aorta in ſitu naturali conſpicerentur.

Vena cava ſuperior, ubi in pericardium abſconditur, 13. 42.

Arteria aorta 13. 44., cujus ramus dexter eſt radix communis arteriæ carotidis, & ſubclaviæ dextræ; duo verò alii rami ſunt carotis ſiniſtra, & ejuſdem lateris ſubclavia.

Neque verò prætereundæ hic ſunt inſertiones venarum pulmonicarum in pulmones 15. 41., & 15. 46., nec non pericardii adhæſiones ad diaphragma, ad venam cavam ſuperiorem, & ad arteriam aortam.

FIGURA SECUNDA.

INciſo, apertoque quadrifariam pericardio anguliſque reclinatis, cor cum auricula dextra, magnis venis, & arteriis ſitu naturali exhibet: cæterum figuræ quartæ, mox deſcriptæ reſpondet.

Venarum ſubclaviarum principia, & vena cava ſuperior 42. 11. $\frac{1}{2}$ in dextram cordis auriculam 45. 11. deſinens, in qua quidem animadverſione digna eſt venæ coronariæ in eandem auriculam inſertio, 47. $\frac{1}{2}$ 11.

Arteria aorta, 44. 14., ex qua carotides, & arteriæ ſubclaviæ, quemadmodum expoſuimus in allata figura quarta, exurgunt.

Note-

Notetur locus adhæſionis pericardii cum arteria aorta 42. $\frac{1}{2}$ 13., priuſquam in carotides diſpertiatur.

Circa pericardii originem, non à ſubſtantia cordis, ſed ab ejus vaſis, multa ex *Galeni* ſententia tradidit *Euſtachius Antigram.* 10. *de Vena ſine pari pag.* 283.

Arteriæ coronariæ dextræ 44. 12. $\frac{1}{2}$ ab aorta procedentis ſitus.

Rami venæ, & arteriæ coronariæ ſiniſtræ 49. 23., qui circa cordis mucronem excurrunt.

FIGURA QUINTA.

HÆc, quam ordine partium poſt ſecundam figuram ponimus, amoto corde, pulmonum exhibet partem anteriorem deductam in latera, quæ in inferiori parte, qua diaphragma contingit, ſinuata apparet. Sinum præterea venarum pulmonicarum in venas pulmonicas quatuor faceſcentem, & arteriam pulmonicam ſitu naturali, oſtendit.

Arteria pulmonica in duos ramos diviſa, & ſupra venam pulmonicam locata, quæ, ubi à corde procedit, reſecta eſt, 45. 43.

Vena pulmonica hians 48. 43. a corde reſciſſa. Hæc vena ſinum offert communem, in quem quatuor venæ; binæ ſcilicet ſuperiores 45. $\frac{1}{2}$ 41. & 45. $\frac{1}{2}$ 45., totidemque inferiores 48. 41. & 48. 45. ramoſo egreſſu è pulmonibus proficiſcentes, concurrunt. Vide *Tab.* XXVII. *Fig.* 13.

FIGURA TERTIA.

EAdem viſcera, ut in figura prima, ſitu naturali à parte poſteriori pateſacit.

Laryngis cartilagines, ubi epiglottis, 62. 13.

Cartilago tyroidea, 62. 11. & 62. 14.

Cartilagines arytænoideæ, 63. 15.

Cartilago cricoidea, 64. 15.

Aſperæ arteriæ, & bronchiorum poſtica pars membranacea, 72. 13. $\frac{1}{2}$

Glandulæ bronchiales, 77. 12. & 76. 14. $\frac{1}{2}$

Arteria aorta 71. 12., quæ circum bronchium ſiniſtrum flectitur; ubi inclinata truncum deſcendentem format, ex quo ſurculi arteriarum intercoſtalium, quamquam diſſecti, apparent, 78. 12. $\frac{1}{2}$

Vena azyca 74. 14., quæ deorſum circum bronchium dextrum inflectitur.

Pericardium, in quo cor contentum eſt, totum illud ſpatium occupans, quod inter utrumque pulmonem eſt, & diaphragma.

Foramen diaphragmatis 85. 12. $\frac{1}{2}$, per quod œſophagus penetrat ad ventriculum.

FIGURA SEXTA.

HÆC partium ordine poſt tertiam ſequitur; nam (demptis laryngis cartilaginibus, & trachea) pulmones, & cor cum magnis arteriis, & venis elegantiſſima figura à nullo alio tentata, poſtico aſpectu exhibet.

Arteria aorta, 71. 44., ubi carotidum, atque ſubclaviarum radices.

Arteria pulmonica, 73. $\frac{1}{2}$ 44.

Bronchia aſperæ arteriæ juxta ingreſſum in pulmones reſecta 75. 42., & 75. 46.

Venæ pulmonicæ magnus ſinus, 76. 44.

Vena cava inferior 79. 45. infra venam coronariam magnam 78. $\frac{1}{2}$ 44. reciſa.

Cor cum vena coronaria magna, 79. 43. $\frac{1}{2}$

TABU-

TABULA XVI.

Hæc tabula exhibet, tum externos, tum internos cordis aſpectus, una cum appenſis vaſis in ſitu naturali.

IN hiſce hujus tabulæ figuris omnes certè quoſcumque Anatomicos antecelluit *Euſtachius*, ſive ſitum cordis, ſive figuram reſpicias, ſive vaſa coronaria propria, ſive denique diſtinctam, & veram magnorum ductuum ſanguiferorum ſpectes habitudinem.

FIGURA PRIMA.

OStendit cor in ſitu naturali 15. 18., a parte anteriori.

Auricula dextra, 15. 12.

Venæ cavæ ſuperioris truncus, 10. 11. cum venis ſubclaviis 5. 11., & 5. 13., & ramuſculis ad mediaſtinum, ac pericardium pertinentibus, 6. 11. & 5. $\frac{1}{2}$ 13. $\frac{1}{2}$

Vena cava inferior 22. 12. juxta auriculam dextram reciſa. Adnotandum, quod vena cava ſuperior, & inferior ſibi mutuo occurrunt continuato, & recto fere ductu, nullo facto in angulum confluxu, ut in pleriſque aliorum Anatomicorum tabulis delineantur.

Arteria aorta, 7. 14., in ſua curvatura, quam angulum dicunt, tres ramos emittens, unum in dextram partem, qui eſt radix communis arteriæ ſubclaviæ 3. 10., & carotidis dextræ; 3. 12., duos alios in ſiniſtram partem, carotidem 5. 15., & arteriam ſubclaviam ſiniſtram 6. 16. producentes.

Arteria pulmonalis, 9. 16.

Vena cordis coronaria minor, ſive dextra 7. 14. ſanguinem e cordis ſubſtantia in auriculam dextram referens. Notentur ramuſculorum hujus venæ conjunctiones cum ramuſculis venæ coronariæ majoris 18. 24., cujus continuationem exhibet *Fig.* 2.

Arteria coronaria minor, ſive dextra 10. 14. $\frac{1}{2}$ ex arteria aorta oriens, & inter auriculam dextram, arteriamque pulmonalem emergens.

FIGURA SECUNDA.

REpræſentat cor, ejuſdemque vaſa, facie prorſus contraria ei, quam præcedens figura demonſtraverat; ea videlicet parte, qua dorſo incumbunt, ut præfatorum vaſorum aſpectus, & cum cordis ſubſtantia continuatio, facilius conſpiciantur.

Vena cava 12. 52. auriculæ dextræ ſuperincumbens 18. 53., cujus inferior truncus juxta eandem auriculam reciſus eſt: ſuperior autem truncus utriuſque venæ ſubclaviæ ramos 4. 49., & 5. 52. oſtendit.

Venæ azygos, ſive ſine pari, principium, 9. 52. $\frac{1}{2}$

Vena cordis coronaria major, ſive coronaria ſiniſtra 19. 49. è venæ cavæ inferiore trunco oriens: ubi adnotatione ſunt dignæ multiplices ramorum hujus venæ conjunctiones.

Arteria aorta, ſive magna, ubi à corde egreſſa curvatur 9. 47., aſcendentes truncos emittens, quorum major 6. 50. eſt radix communis arteriæ ſubclaviæ dextræ, & caroti-

rotidis dextræ; reliqui duo ſunt arteria ſubclavia 5. 48., & carotis ſiniſtri lateris, 6. ½ 47. ½

Truncus aortæ deſcendentis reciſus, 9. 47., ut ſubjecta vaſa pulmonalia inſpici poſſint.

Truncus arteriæ pulmonalis 12. 48., in qua abſciſſi ſunt duo rami ad pulmones tendentes.

Arteria cordis coronaria major, ſive ſiniſtra 13. ½ 47. ex arteria aorta prodiens, & inter arteriam pulmonalem, ſiniſtramque auriculam emergens.

Venæ pulmonalis ſinus 16. 50. ab utroque latere juxta ramos pulmonales truncatus.

Auricula cordis ſiniſtra, 14. 48.

FIGURA TERTIA.

IN hac figura repetit Auctor exemplar, quod jam dederat *Tab.* VIII. *Fig.* 6., in qua præter cordis auriculam dextram 37. 13., & venam cavam ſuperiorem 39. 28., a jugulo reducem, dexter etiam ventriculus per longum ſectus 47. 20. delineatur; ubi plurimæ columnæ carneæ apparent, quæ in tendines abeunt, in diverſa tendentes, quique diverſimode conjuncti inter ſe, ad tres venæ cavæ valvulas tricuſpides, ſive mitrales 45. 16., & 45. 20., & 45. 24. pertingunt.

Præterea notatione maxime dignæ ſunt duæ aliæ circa cor valvulæ, altera major, & reticulata 40. 20., quam ſæculo ante *Lowerum Euſtachius* demonſtravit, qua impeditur, ne ſanguis a jugularibus per cavam ſuperiorem 39. 47. deſcendens, nimio impetu arietet cum ſanguine per cavam inferiorem aſcendente. (de hac *Euſtachii* valvula vid. *Heiſteri Compend. Anatom. not.* 69.)

Semilunatam, & minorem alteram valvulam circa cor 42. 20. ½ oſtio venæ coronariæ admotam inſpicimus; cui inſignem uſum tribuit *Lanciſius* in *Tractatu de Motu Cordis*.

Foraminis ovalis reliquiæ, 40. 24.

Arteria aorta, 41. 28.

Arteria pulmonalis, 43. 29.

Ramus major venæ cordis coronariæ majoris, 48. 27.

FIGURA QUARTA.

CORdis ventriculus dexter per longitudinem una continua ſectione à ſiniſtra parte, juxta ventriculum ſiniſtrum inciſus, ac poſtea diductus una cum arteria pulmonali.

Arteria pulmonalis per longitudinem diſſecta, & expanſa, 39. ½ 43.

Tres valvulæ ſemilunares 41. 41., & 41. 43., & 41. 45. interius oſtium arteriæ pulmonalis obſidentes.

Arteriæ aortæ truncus reciſus, 38. 43.

Venæ coronariæ majoris ramus major 42. 49., pone exteriora ventriculi ſiniſtri, totam cordis longitudinem percurrens.

FIGURA QUINTA.

CORdis ventriculum ſiniſtrum, una cum arteriæ aortæ principio 69. 22. per longitudinem inciſum, diductumque patefacit.

Tres valvulæ ſigmoideæ, ſive ſemilunares 71. 15., & 71. 17., & 71. 20. oſtio cordis ad arteriæ aortæ initium admotæ.

Arteriæ coronariæ dextræ 70. 14., &

Arteriæ coronariæ ſiniſtræ 70. 19. ½ orificium.

Auricula ſiniſtra, 69. ½ 22.

FIGURA SEXTA.

VEnam pulmonalem pone auriculam ſiniſtram reciſam, ac ventriculum ſiniſtrum ad mucronem uſque cordis continuata inciſione diſſectum, exponit.

Auricula ſiniſtra, 69. 39.

Vena pulmonalis resecta, & diducta, 69. 45.

Lunatus sinulus, qui superest, ubi in fætu inhærat valvula foraminis ovalis, 69. $\frac{1}{2}$ 43. $\frac{1}{2}$

Una ex duabus valvulis tricuspidibus, seu mitralibus, 74. 45.

Alterius valvulæ tricuspidis utrinque pars dimidia 73. 40. & 73. 51.

In cordis ventriculi cavo notentur plurimæ carneæ columnæ, e quibus tendines nascuntur ad valvulas tricuspides pertinentes.

TABULA XVII.

Demonstrat omnes aspectus cerebri, tam integri, quam dissecti, nec non cerebellum cum spinali medulla a vertebrarum specu exempta.

SI quæ sunt tabulæ, unde summum Eustachii in anatomicis studium, ac manus in dissecando dexteritas innotescat, hæc profecto, & quæ proximè sequuntur, nervorum propagationes repræsentantes, id apertissime ostendunt; pro quibus delineandis non dubito, quin egregius Auctor infinito labore, & patientia immensam cadaverum multitudinem dissecuerit, ut adeo difficile, ac pene incredibile opus moliretur; cum omnia fere, quæ in cerebro, ac nervorum origine, quotquot post illum usque ad nostra tempora detegere conati sunt reliqui Anatomici, solus ipse aperuerit.

FIGURA PRIMA.

CErebrum a latere dextro cum pendula dura matre quadrifariam incisa, cujus lævum hemisphærium est integrum 13. 6., & 13. 23., dextrum vero 18. 4., & 18. 24. ex transverso sectum, ut ejus pars medullaris 18. 10. & 18. 15., nec non corpus callosum, 16. 15. apparerent.

Cerebellum 23. 13., & medulla oblongata 24. 14. inter dependentes posticos angulos incisæ duræ matris.

FIGURA TERTIA.

DEtracta ex transverso cerebri parte superiori, duo anteriores ventriculi ostenduntur.

Septum lucidum 17. 45., quod ventriculos distinguit; quare id diaphragma cerebri nominat *Galenus*.

Corpora striata, 16. 44., & 16. 47.

Plexus choroidei, 20. 44., & 20. 47., per quos venæ decurrunt sese crebrè conjungentes; quarum ramos tum ab anteriori parte ventriculorum, tum a posteriori, tum a corporibus striatis proficisci Auctor diligentissime indicavit.

In hac figura, & in 4. 5., & 6. post sectionem planam cerebri, optime delineata cernimus loca insinuationum piæ meningis per omnes exteriores cerebri convolutiones, & anfractus.

Cinericea, sive corticalis cerebri substantia, a medullari, in his dissectis cerebri hemisphæriis clare distingui potest.

FIGURA QUARTA.

HÆC figura proximè præcedenti in universum respondet: in hoc autem differt, quod fornix ab anteriori parte resectus sit, ac deinde in posteriora reflexus 51. 13., & 51. 16. cum plexibus choroideis, venisque, quas plexus illi sustinent, ut liberè observari possit fundus ventriculorum, & quatuor cerebri protuberantiæ orbiculares 49. 15., quæ nates, & testes vocantur, cum supereminente glandula pineali 48. 15.; quæ omnia ab ampla, lataque media incumbente expansione eorundem plexuum choroideorum tegebantur.

Thalami nervorum opticorum, 48. 14., & 48. 17.

Ventriculus tertius, 47. 15. $\frac{1}{2}$

Aquæ.

Aquæductus *Silvii*, & rima, 46. 15. $\frac{1}{2}$.
Corpora ſtriata, 44. 14., & 44. 17.

FIGURA QUINTA.

Reſecta cerebri parte ſuperiori ſecundum ventriculos 47. 39., & 47. 47., & poſtea ſectione inter corpora ſtriata, & thalamos nervorum opticorum, oblique ducta, lobis anterioribus cerebri penitus ablatis, conjunctionem nervorum opticorum 40. $\frac{1}{2}$ 43. ſupra ſellam, ut ajunt, turcicam, patefacit.

Fornix 43. 43. $\frac{1}{2}$, cujus pars anterior reciſa eſt, ejuſque cornua 45. 39., & 45. 48., quæ crura fornicis dicuntur.

FIGURA SEXTA.

Nervorum opticorum originem 78. $\frac{1}{2}$ 13. & 78. $\frac{1}{2}$ 17. nulli Anatomicorum ante ſuam ætatem cognitam, peculiari quidem, nec laudibus ſatis efferendo ſtudio, ac labore patefacit; cum ſibi invertendum fuerit cerebrum, eaque ſolummodo illius portio detrahenda, quæ prohibebat, ne clarè appareret, quod prædictorum nervorum principium, non ex antica, ſed, facta utrinque circumductione 76. 11. $\frac{1}{2}$, & 76. 18. $\frac{1}{2}$, ex poſtica thalamorum parte procedit.

Nervi optici, præſciſſa eorum continuitate, a ſe mutuo diducti 73. 13., & 73. 17.

Ventriculorum anteriorum lacunaria, 79. 12., & 79. 19.

Fornicis, & corporis calloſi pars inferior, 79. 15.

Cerebri lobi anteriores, ubi proceſſus mammillares, 69. 12., & 69. 17.

Cerebri lobi poſteriores, 73. 10., & 73. 20.

FIGURA SEPTIMA.

Cerebelli anterior, & inferior aſpectus, ubi varius inciſurarum, ſive lamellarum diſtributionis modus apparet, cum ponte *Varolii*, ſive protuberantia annulari *Villiſii*, 75. 43., a cujus parte anteriori crura medullæ oblongatæ reciſa ſunt, a poſteriori vero ipſa medulla oblongata truncata eſt.

Proceſſus vermiformis anterior 73. 43., & poſterior, 77. 43.

FIGURA SECUNDA.

Hæc figura, quæ juſto partium diſſectarum ordine poſt ſeptimam ſequitur, cerebellum cum ſpinali medulla a poſteriori facie exhibet.

In cerebello ſuperior per cultrum portio detracta eſt, ut non ſolum medullaris ipſius cerebelli, inſtar ramorum arborum divaricata ſubſtantia commode cerni poſſit; verum etiam ut cerebellum, tam cum cerebro, quam cum ſpinali medulla continuum eſſe appareret.

Crura medullæ oblongatæ cerebri reſecta, 3. 28., & 3. 32.

Glandula pinealis, 2. 20.

Nates, 3. 29., & 3. 31.

Teſtes, 4. 29., & 4. 31.

Nervi paris quarti, pathetici dicti, à medulla oblongata pone teſtes prodeuntes, 4. 29., & 4. 31.

Pars medullæ oblongatæ cerebello ſubjecta, quæ efficit ventriculum quartum 8. 30., & deſinit in inciſura, quæ calamus ſcriptorius dicitur, 10. 30.

Pedunculi cerebelli, 11. 29., & 11. 30., à quibus ſpinalis medulla dependet, cujus medullæ inferior extremitas in anguſtum deſinens, cauda equina nuncupatur.

A ſpinali medulla triginta nervorum paria, eaque omnia duplici exorta radice, producuntur.

Adnotandum, ut diligentiſſime *Euſtachius* medullam ſpinalem non ſenſim decreſcentem, ſed alicubi, & præſertim verſus lumbarem regionem, longe craſſiorem depinxerit, erroremque *Veſalii* abſterſerit.

TABU-

TABULA XVIII.

Delineat nervorum omnium originem tam intra, quam extra cranium.

FIGURA PRIMA.

ENcephali dimidium ab inferiori parte per longitudinem mediam disſecti, cum medulla oblongata, & principio ſpinalis medullæ, una cum nervis, qui intra cranium ab ejuſdem medulla proficiſcuntur.

Proceſſus mamillaris, ſive nervus olphactorius, 24. 17.

Nervus opticus 26. 16. in retinam expanſus.

Truncus nervi tertii paris cerebri, quod par oculorum motorium dicitur, juxta partem anteriorem eminentiæ anularis oriens, 29. 17.

Nervus quarti, paris patheticus dictus, 29. 16. ad muſculum obliquum ſuperiorem oculi pertinens. Nervus hic omnium, qui intra cranium naſcuntur nervorum tenuiſſimus eſt: oritur à ſuperiori parte medullæ oblongatæ, pone teſtes, & ad muſculos obliquos ſuperiores oculorum pertinet.

Truncus nervi quinti paris cerebri, guſtatorius nominatus 30. 15.; naſcens e latere eminentiæ anularis. In tres inſignes dividitur ramos, unde tergeminus quoque dicitur. Horum ramorum primus 27. 35. ophtalmicus vocatur, eo, quod ſuas propagines ad oculorum orbitam, & frontem defert. Duo reliqui rami maxillares nuncupantur, quia per maxillas, & palatum diſperguntur; alter enim 28. 14. $\frac{1}{2}$ maxillaris ſuperioris; alter 29. 14., qui reliquis craſſior, maxillaris inferioris nomine diſtinctus eſt.

Nervus ſexti paris 32. 16. ad muſculum rectum abducentem oculi pertinens, qui juxta partem anteriorem corporis olivaris, & pyramidalis ortum ducit.

Septimi paris nervorum cerebri portio dura, 31. 13. Nervus hic, auditus organis inſerviens, ab anteriori parte lateris externi corporis olivaris ſuam habet originem. Communicatio hujus portionis duræ nervi auditorii cum nervo maxillari inferiori 32. 11., adnotanda, ex qua communicatione chorda tympani oritur. Poſt hanc ramorum conjunctionem funiculus naſcitur, qui per foramen, aquæductum *Falloppii* nominatum, prope proceſſum mamillarem emergens 31. $\frac{1}{2}$ 11., muſculis colli, & temporum proſpicit.

Septimi paris nervorum cerebri, qui auditorii portio mollis vocantur, origo 32. 12. à parte anteriori corporis olivaris propter externum latus portionis duræ. In hujus nervi extremitate ejuſdem per cochleam gyri cernuntur.

Nervus octavi paris, vagus nuncupatus, ab externo corporis olivaris latere aliquot filamentis exurgens 35. 14.; cui nervus ſpinalis, recurrens dictus, tribus enatus principiis 35. 15. conjungitur.

Nervus noni paris, lingualis dictus, qui diviſis principiis à poſteriori parte lateris externi corporis pyramidalis 35. 16. oritur. Nervus hic lingualis, & vagus non longè ab eorum origine reciſi ſunt.

Corpus pyramidale, 33. 17.

Corpus olivare, 34. 16.

Emi-

Eminentia anularis, 33. 14.
Medulla ſpinalis, 38. 17.

FIGURA TERTIA.

HÆC figura una cum quarta, & quinta, primæ figuræ reſpondet; in hoc autem inter ſe differunt, quod omnes ſimul medullæ oblongatæ nervos, cum ſuis diramationibus figura prima exhibeat; in reliquis vero his tribus ſimilibus figuris, aliquot tantummodo eorum nervorum rami, vario modo diſciſſi, repræſentantur; ut minores diramationes, quæ ex prima illa figura ob multitudinem diſtingui facile nequiviſſent, ſeorſim delineatæ, dilucidius apparerent. Proinde in hac tertia figura, truncatis aliis nervis, oculorum nervum motorium 29. 40. ½, & patheticum 29. 41. ½ cum eorum ramuſculis, atque ſimul diramationes anterioris rami nervi guſtatorii 27. ½ 42. (qui ramus ophtalmicus dicitur, quia ejuſdem diramationes, quæ ex anteriori cerebri parte 19. 42. delineatæ prominent, ad orbitam, ſuperciliumque pertinent) nec non aliquas tertii rami ejuſdem nervi guſtatorii propagines, quæ ad maxillæ muſculos, & linguam pertinent, 48. ½ 47., ad linguæ, & oſſis hyoidis muſculos 29. ½ 46., atque ad mentum, & labrum inferius, divagantur, melius ſpectare licet, atque facilius, quam in prima figura.

Præ cæteris in hac quoque figura optime cernitur nervus ſpinalis recurrens, ſive acceſſorius *Villiſii*, qui tribus principiis à vertebralibus nervis oritur, ac poſtea, cranium ingreſſus, cum trunco paris octavi conjungitur, 35. 41. ½

FIGURA QUARTA.

TRuncum nervi tertii paris, oculorum motorium dictum, inſpiciendum proponit, 59. 16. Hujus rami ad muſculos oculi diſpertiuntur; ſcilicet ad adducentem 56. 16.; obliquum inferiorem 54. 15. ½, deprimentem 56. 15. ½; attollentem, atque ad muſculum elevatorem palpebræ ſuperioris, 57. 15. ½

Aliquot præterea iſtius paris tertii filamenta nervum opticum viſorium comitantur, atque in exteriores oculi membranas, & intimam quoque uveam diſſeminantur.

Ex tertio nervi quinti paris ramo 60. 11. aliquot propagines delineantur, quæ potiſſimum ad muſculos temporalem 59. 11., pterygoidæum externum 59. ½ 11., & genarum, labrorumque muſculos 60. 11. percurrunt.

Nervus ſexti paris 62. 15. ½ ad muſculum abducentem oculi pertinens, qui juxta anteriorem partem corporis clivaris, pyramidalis exoritur.

FIGURA QUINTA.

NErvum quarti paris exponit, quod par patheticum dicunt 60. 41., ad muſculum obliquum ſuperiorem pertinens.

Ex trunco nervi quinti paris eam exhibet diramationem, quam ophtalmicam vocant 60. 44., quæ in duos ſurculos diviſa, per cavum orbitæ, ſinum frontalem, naſi radicem, atque ſupercilium ludit 50. 42.: uti etiam ramuſculum oſtendit à tertia ejuſdem nervi diramatione profectum 59. 47., qui in muſculum maſeterem, & buccinatorem ingreditur.

Quantum laborem, quantamque diligentiam adhibere *Euſtachius* debuerit, ut horum medullæ oblongatæ nervorum implicitas myriades tam nitidè enuclearet, ſolus ille bene noverit, qui anatomico ſcalpello humani corporis fabricam ſcrutari, atque ſingulas ejus partes ſuis attrectare manibus conſuevit. Neque minoris ſolertia putanda, qua uſus eſt, ut ſeorſim quatuor hiſce figuris uniuſcujuſque nervi,

vi, & præsertim multiplices quinti paris, diramationes nitidissimè exponeret.

FIGURA SECUNDA.

ENcephalon ex inferiori parte, & anteriorem vertebrarum columnæ prospectum exponit, una cum nervis omnibus exinde prodeuntibus.

Pons *Varolii*, sive protuberantia annularis *Vvillisii*, 11. $\frac{1}{2}$ 29.

Corpora pyramidalia, 13. 28., & 13. 29.

Corpora olivaria, 13. 27. $\frac{1}{2}$, & 13. 29. $\frac{1}{2}$

Primum nervorum par, nervi olphactorii, qui olim processus mamillares dicebantur, 4. 28. $\frac{1}{2}$, & 4. 29. $\frac{1}{2}$

Secundum par, opticorum dictum, abscissum juxta coalitum, 8. $\frac{1}{2}$ 28., & 8. $\frac{1}{2}$ 29. $\frac{1}{2}$

Tertium par, oculorum motorium, 10. 28. & 10. 29. $\frac{1}{2}$

Quartum par, patheticum nuncupatum, 10. 27. & 10. 31.

Quintum par, cæteris crassius, gustatorium appellatum, 10. $\frac{1}{2}$ 26. $\frac{1}{2}$, & 10. $\frac{1}{2}$ 31. $\frac{1}{2}$ Nascitur è lateribus prominentiæ annularis prope nervos patheticos 12. 29., & in tres insignes ramos dividitur.

Sextum par, oculorum abducens; oritur instar filamentorum juxta anteriorem partem corporis olivaris. 12. $\frac{1}{2}$ 25., & 12. $\frac{1}{2}$ 33. Mirabilis hujus paris nervorum cum nervis intercostalibus magnis, sive nervis sympathicis, conjunctio elegantissime expressa est 10. 27., & 10. 30., ex qua conjunctione ratio reddi potest, quare multorum animi pathematum, viscerumque affectionum indicia in hominum facie, & oculis appareant. Hi enim nervi cum totius corporis omnibus ferè nervis principibus communicationem habent; nam utrinque per latera columnæ vertebrarum descendunt usque ad os sacrum; quo decursu singulis nervis spinalibus conjunguntur. Plurimis etiam donantur gangliis, ex quibus innumera prodeunt filamenta, quæ thoracis, & abdominis viscera pervadunt, atque cum nervis paris vagi implicantur. Horum nervorum intercostalium, pone conjunctionem cum sexto pari, in duos ramos, in quos se findunt, divisio adnotanda 12. 26. $\frac{1}{2}$ & 12. 31. $\frac{1}{2}$, qui rursus postea in unum coeuntes, fissuram efficiunt, per quam incedit arteria carotis interna, quæ una cum his ramis continetur in canali ossis petrosi, per quem in cranium penetrat. Verum implicatissimam hujus nervi intercostalis magni distributionem, post paris octavi, sive vagi, explicationem opportunius prosequemur.

Septimum par, auditorium, 13. $\frac{1}{2}$ 25. $\frac{1}{2}$, & 13. $\frac{1}{2}$ 32. $\frac{1}{2}$ Hi nervi in duos quasi distinctos nervos procedunt, quorum tenuvior, portio dura; crassior, portio mollis nuncupatur.

Octavum par, vagum dictum, 14. 27., & 14. 31.

Hoc nervorum par, ubi è calvaria elapsum est, nervum emittit 15. 26., qui ad linguæ, & faucium musculos tendit, ejusque propago ad radicem linguæ desinit.

Ab externo latere trunci paris vagi insignis abscedit nervus 16. 25., qui quandam exerit propaginem 17. 25., quæ, adscito nervulo a tertio spinalium 18. $\frac{1}{2}$ 25., collo distribuitur. Deinde illius reliquum 16. $\frac{1}{2}$ 24., facta communicatione 18. 24. cum eodem spinali, soboleque etiam insigni 22. 24. $\frac{1}{2}$ a quarto pari accepta, in illos musculos disseminatur, qui cervicem occupant. Adnotandum verò est, quod nervus hic, non ante plexum axillarem, ut in pictura (ad ejus majorem forsan visendi facilitatem) positus est, sed ad ejus tergum defertur; quam rem *Eustachium* in suis explicationibus moniturum fuisse, putandum.

A trunco paris vagi, è regione secundæ vertebræ, nervi propago 17. 26. $\frac{1}{2}$ enascitur,

ſcitur, quæ circa laryngem defertur; cujus cum nervo reverſivo 24. 28. occurſus, atque coitus 22. 28. ½ optime eſt ad *Galeni* mentem delineatus.

Nervi a pari vago recurrentes: dexter ſcilicet 31. 27. ½ e regione ferme ſecundi thoracis ſpondyli; & ſiniſter 35. 29. paulo inferius ad quartam vertebram, ſurſum revoluti.

A recurrentibus nervis duo plexus cardiaci ante cordis baſim conſtituuntur, quorum dexter nervulum emittit 32. 28., qui cum ramo 33. 28. à paris vagi trunco proficiſcente unitus, nervum efficit cordis dextrum 34. 28. ½

Nervum cardiacum ſiniſtri lateris 33. 29. ½ tres concurrentes nervoſi funiculi conſtituunt; unus 30. ½ 29. a nervo recurrente lævo: duo reliqui 30. 30., 32. 29. ½ ab intercoſtali magno provenientes.

Cordis bini nervi; dexter ſcilicet, & ſiniſter ſupra cor conjunguntur 35. ½ 29., & plexum cardiacum efficiunt.

Nervi, qui per pulmones, & aſperam arteriam diſtribuuntur, a caudice paris octavi emiſſi, 38. 27. 38. 31.

Circa quintæ thoracis vertebræ regionem trunci nervorum paris vagi utrinque bipartiuntur 38. 27. ½ 39. 30., ac duas inſulas, in unum caudicem rurſus confluentes, efficiunt; quarum inſularum dextera 43. 27. ½ major; ſiniſtra 41. 30. minor eſt: rami tamen harum diviſionum per exilia quædam filamenta conjunguntur.

Paulo ſupra ſeptum tranſverſum hi nervorum trunci, mediantibus quibuſdam funiculis 43. 28. ½ 44. 29. communicationem habent, ac copulantur.

Hinc ad nonum quaſi thoracis articulum truncus nervi vagi dexter verſus ſiniſtrum conjugem inclinat, hoc antrorſum, illo retrorſum repente; amboque ſiniſtrorſum quoque inclinati, ſtomacho attenſi ſunt. Ad lævam poſtea paululum deflectunt, in via utcunque convergentes, ipſique ſtomacho impertientes exiles quoſdam ſurculos, 46. 28. ½ 47. 30. &c.

Cum diaphragma, & ſtomachum nervi octavæ conjugationis perforaverint, eorum ſiniſter truncus 49. 31. bifariam dividitur: cujus diviſionis ille ramus 50. 31., qui ad lævam vergit, una cum propagine 50. ½ 30. ½ a dextro vago huc delata, multiplici ſobole, ad cardiam numeroſam facit nervorum ramificationem, & ſeriem, 52. 32.

Alter, ſive dexterior ſiniſtri vagi ramus 50. 31. dextrorſum ad uſque pylorum defertur, ventriculo ſummo incumbens, eique gradatim ſurculos offerens.

Dexter paris octavi nervus 49. 29. in duos pariter dividitur ramos; quorum ſiniſterior 50. 30., unico in via dimiſſo ſurculo 50. ½ 30., plexui ſtomachico 52. 32. impenditur, prout modò ſuperius diximus. Alter vero deorſum latus 51. 34., inſignique facto conſortio 53. ½ 29. cum plexu magno abdominali, iterum bipartitur in duas quaſi paralellas propagines.

Harum propaginum ſuperior 54. 28. tota abit in plexum hepaticum 54. 23.

Altera, ſive inferior præfati nervi propago 55. 28. ad plexus hepatici conſtructionem quoque concurrit.

Hæc inferior plexus hepatici propago, poſtquam exiguos quoſdam ſurculos 55. ½ 27. 57. ½ 26. ½ in abdominalem plexum, & notabilem ramum 56. ½ 25. ½ in meſenterium, & poſticam omenti lamellam dimiſit, cui quoque ſimul opitulatur ſoboles 54. ½ 27. ½ ex incipiente magno hocce plexu derivata, arctam hinc inde facit cum ramis plexus ſuperioris communicationem.

Ex plexu hepatico 54. 24. inſignis propago 56. ½ 22. deorſum mittitur, quæ dexteram fundi ventriculi partem perreptans, illi, & anticæ omenti membranæ ſurculos

los geniculatim offert : ita quidem , ut vasorum sanguineorum huc perreptantium more , nervus gastroepiploicus dexter appellari mereatur .

Magni Nervi Sympathici sive Intercostales .

POST nervorum octavi paris , sive vagi explicationem , alterum splanchnicorum nervorum par , eis admodum affine, quodque ad collum , atque ad omnia thoracis, & abdominis viscera suas ramificationes exporrigit , ad majorem intelligentiam , hic seorsim prosequendum esse censuimus.

Hi nervi communiter intercostales vocantur ; hoc tamen nomen nequaquam eorum situi , atque eorundem decursus extensioni respondet . Duo enim sunt funiculi , qui à prima colli vertebra , usque ad ossis sacri extremitatem porriguntur . Hi per filamenta lateralia cum omnibus nervis vertebralibus communicant : communicationem pariter cum ramis paris vagi , aliisqne totius humani corporis nervis principalibus , per multiplices eorum diramationes , frequenter habent ; quare nonnulli recentiores Anatomici aptiori nomine , magnos Sympathicos , aut magnos Spinales hos nervos appellandos esse statuerunt .

De horum autem nervorum origine variæ sunt Anatomicorum sententiæ : ramulum tamen sexti nervorum jugi reflexum 10. 27., & 10. 30. nervi intercostalis verum constituere principium in hac figura ostendit *Eustachius* .

Nervi intercostales pone eorum principium in ramos dividuntur 12. 26., & 12. 31. $\frac{1}{2}$: rursus postea in unum truncum coeuntes ; qui trunci , ubi una cum arteria carotide per cranii foramen elapsi sunt, in magnum ganglion cervicale 16. 27., & 16. 30. $\frac{1}{2}$ abeunt . Colore carneo hoc ganglion est, & rubellis membranulis instructum .

Præter mox adnotatum ganglion, plures alios tumores gangliformes , sive ganglia , per totam eorum extensionem hi nervi præsentant . In hac figura ganglia dorsalia 30. 27., & 28. 30. $\frac{1}{2}$ & lumbalia 61. 16. , & 61. 32. potissimum exhibentur .

A dextro ganglio dorsali surculus emittitur 28. 27. $\frac{1}{2}$, qui nervo reversivo occurrit : a sinistro vero , paulo inferius, duo ramuli 30. 30. 32. 29. $\frac{1}{2}$ ad sinistri nervi cordis compositionem derivantur.

Trunci magni nervorum intercostalium secundum corpora vertebrarum dorsi multos surculos emittunt , quibus utrinque magnum ramum internum , sive funiculum collateralem 47. 27. 47. 29. $\frac{1}{2}$ constituunt : qui funiculi perforato hinc inde septo transverso , in magnum plexum abdominis abeunt .

Hic nervorum abdominis plexus è regione ultimæ thoracis vertebræ incipiens, ac deorsum continuatus , novasque suppetias à magnorum nervorum intercostalium truncis 51. 27. $\frac{1}{2}$ 53 30. hauriens , cunctis incumbit lumborum vertebris ; unde suis surculis , per quos cum ramis paris vagi crebras habet conjunctiones , ad omnia imi ventris viscera propagatur .

Plexus abdominalis lævo in latere splenis ramos 55. 34. 57. 36., & nervum gastroeplipoicum sinistrum , 58. 35. emittit .

Rami , qui ad renes, & eis incumbentes glandulas , 56. 24. 60. 36 , porriguntur .

Rami , qui ab eodem plexu nervos 85. 26. 85. 32. ad vasa seminalia , atque testes deferunt .

Reliqui abdominalis plexus nervi mesenterium , intestina , & confines membranas eleganter , ac copiosè perlustrant, in exiles exhausti tenuitates ; infimæ tandem ejus partes 76. 29. , nervique intercostalis extremitates 75. 26. 75. 31. intestino recto , vesicæ urinariæ , utero in fœminis, finitimisque partibus , & membranis sensum mini-

ministrant, ac vitam.

Nonum par nervorum cerebri 14. 27., & 14. 31., quod linguale dicunt, aliquot principiis oriens e latere corporum pyramidalium, ad linguam, eique adjacentes musculos pertinens.

Nervus hic in suo progressu extra calvariam ramum 18. $\frac{1}{2}$ 26. $\frac{1}{2}$ exerit, qui, surculo 18. 25. $\frac{1}{2}$ secundi cervicalis ipsi occurrente, auctus 20. 26. in anteriores colli musculos descendit. Hoc emisso ramo, truncus hujus nonæ conjugationis deflectit 19. 27., & surculos finitimis glandulis, ut & ossis hyoidis, & linguæ musculis impertit; donec reliquum in lingua terminetur.

Ex vertebrarum columna, inter unam, alteramque vertebrarum colli, dorsi, & lumborum transversam apophysim, nervorum cervicalium, dorsalium, & lumbalium trunci a spinali medulla prodeunt; in quibus variæ, mirabilesque cum nervis sympathicis, & paris vagi conjunctiones cernuntur.

A quarto, & quinto pari nervorum cervicalium nervi diaphragmatici oriuntur, qui ramoso fine 44. 24. 44. 36. in diaphragmate desinunt. Horum nervorum diaphragmaticorum dexter rectius descendit; sinister vero, sicuti cor in sinistram partem porrectum est, ita etiam oblique deflectit.

Quatuor inferiorum nervorum cervicalium, & primorum dorsalium mirabilis implicatio, & commixtio elegantissimè exculpta est, ex quibus quatuor magni nervi brachiales 30. 19. & 30. 38. deinde fiunt.

Ab ultimis lumborum nervis spinalibus duo utrinque rami secedunt, qui conjuncti inter se 78. 25. & 78. 33. ad nervos primos ossis sacri accedunt.

In dextro ossis sacri latere tres nervi ex illius foraminibus prodeunt, paulo post in unum confluentes; duos autem in latere sinistro nervos exculpsit *Eustachius*, ut varietates, quæ aliquando in cadaveribus occurrere solent, ostenderet.

Magni nervi ischiadici 81. 24. & 81. 34. a mox descriptis nervis efformati.

TABU-

TABULA XIX.

Delineat nervos omnes, qui in viſcera, atque artuum muſculos anteriori facie diſtribuuntur.

PRimi rami quinti paris nervorum cerebri, qui ophtalmicus dicitur, ramus frontalis ex ſuperiori orbitæ parte exiens, ad ſupercilium, & frontem 2. 36. diſtributus.

Secundi rami quinti paris nervorum cerebri, maxillaris ſuperioris dicti, ramus ex foramine infraorbitali prodiens, & tum ad genas, tum ad ſuperius labrum divaricatus, 4. $\frac{1}{2}$ 36. $\frac{1}{2}$, & 5. $\frac{1}{2}$ 34.

Tertii rami quinti paris nervorum cerebri ramus maxillaris inferior è canali maxillæ inferioris 7. 37. & 8. 34. exortus, & ad mentum, labiumque inferius diſtributus.

Octavi paris nervorum cerebri truncus ſub ejus conjunctione cum nervo ſpinali recurrente reciſus, 8. 40.

Magnum ganglion cervicale, 9. 39. $\frac{1}{2}$

Ganglion dorſale, 15. 40.

Nervus intercoſtalis magnus, ſive ſympathicus ſiniſter, totam vertebrarum columnam percurrens conjunctus cum nervis ſpinalibus 17. 40.; nempe cervicalium ſeptimo, octavo, ſingulis dorſalibus, & lumbalibus, ubi muſculum pſoam magnum penetrat.

Ab hoc nervo ſympathico alius inſignis nervus juxta dorſi vertebras oritur ſex principiis, ubi intercoſtalis cum quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, & nono nervorum dorſalium conjungitur, 25. 39. $\frac{1}{2}$ Nervus iſte (hic truncatus) 27. 39. $\frac{1}{2}$ per diaphragma in abdomen deſcendit, ubi cum pari vago, & aliis nervi intercoſtalis ramis copulatur, *Vid. Tab.* XVIII. *Fig.* 2.

A ſingulis vertebrarum foraminibus ſua quæque nervorum paria prodire cernimus, quæ in univerſum pene muſculare, & membranoſum genus diſtribuuntur.

Nervos ex colli vertebris prodeuntes, cervicales dictos, eorumque inter ſe conjunctiones primo adnotabimus; ex quorum quarto, & quinto pari nervorum diaphragmaticorum trunci duplici principio in thoracis cavum delabuntur 13. 37. $\frac{1}{2}$ & 13. 41. $\frac{1}{2}$

Nervorum diaphragmaticorum ſiniſter ob mucronem cordis ſiniſtrorſum deflectit 18. 41. $\frac{1}{2}$; dexter autem ſuum ramoſum finem in diaphragmate oſtendit 25. 35., & 25. 37.

Ex nervorum cervicalium quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo pari, accedentibus etiam dorſalium primis, nervi ad axillas, vario modo, inter ſe conjuncti, procedunt, qui in quatuor truncos brachiales abeunt.

Ramus nervorum ad axillam procedentium, qui pertinet ad interiora muſculi pectoralis, in humeri ſiniſtri capite apparet, 16. 45.

Nervorum dorſalium rami coſtales, qui ſecundum coſtas incedunt. In ſiniſtro latere muſculos intercoſtales internos ſubeunt. In dextro latere muſculi intercoſtales interni remoti ſunt, relictis externis, ut illorum nervorum decurſus inter muſculos intercoſtales internos, externoſque appareret. Ramos iſti nervi producunt, quorum alii ad intercoſtales muſculos pertinent, alii ad exteriora prodeunt.

Intercoſtalium nervorum ultimi 31. 45., & 31. 42. primum poſt muſculos pſoas magnos, dein ſecundum internam partem muſcu-

musculorum quadratorum lumborum ; & transversorum abdominis decurrunt, quod in latere sinistro exhibetur.

Nervi lumbales quinque, ex lumborum vertebris utrinque procedentes.

In lumbis, præter magni intercostalis ramos in superiori tabula adnotatos, altera nervorum, qui ad testes pertinent, conjugatio inspicitur 32. 37., & 36. 40., quæ a vigesimo primo, & vigesimo secundo pari nervorum spinalium orta, musculum psoam 36. 40. perforat, ac vasa concomitans seminalia, in binos dividitur ramos. Horum ramorum exterior 42. 41. $\frac{1}{2}$ inguini, proximisque tegumentis inservit: interior vero ramus 42. 40. $\frac{1}{2}$. testes versus defertur, vasorum innitens seminalium externis tunicis.

Nervi quatuor ossis sacri, qui conjuncti magnum nervum ischiadicum 41. 36., efformant.

Ex tertii, & quarti, portioneque secundi nervorum lumbalium conjunctione nervi crurales 39. 35. 39. 42. oriuntur, multis ramis per femoris anteriora se demittentes, Verum in dextro tantum latere, ubi musculus psoas ablatus est, multiplex horum nervorum principium apparet.

Nervorum ischiadicorum rami 69. 35., & 69. 41., qui inter fibulas, & musculos peronæos longos in anteriori crurum parte emergunt, ac deinde descendentes inter musculos extensores pollicis longos, & tibiales anticos, ad extremos pedes decurrunt.

In interna humeri dextri parte quatuor nervorum brachialium trunci per axillam decurrentes nitidissimè apparent.

Nervorum brachialium secundus 15. $\frac{1}{2}$ 33., nervus musculo-cutaneus dictus, musculum coracobrachialem perforat 16. 28., ex quo emergens, decurrit sub musculo bicipite; ubi dat ramos bicipiti, & brachiali interno: tandem fit subcutaneus, ubi recisus est, 15. 19.

Nervus ulnaris 14. 13. in manus vola insignes porrigit ramos digito minimo, atque lateri digiti annularis.

Nervus medianus 13. 14. subit interius carpi ligamentum, & ad volam pervenit, ubi in plures ramos expanditur.

TABU-

TABULA XX.

Exhibet posteriori facie nervorum distributionem in musculos totius corporis.

IN nervis ex cervice procedentibus observentur capitula recisorum nervorum cervicalium, qui ad musculum complexum sinistrum 8. ½ 18., ac splenium 11. ½ 18., nec non inter extensorem rectum majorem, & obliquos 9. 19. ½, & 9. ½ 20. ½ dispertiuntur. Musculum cucullarem horum nervorum rami exinde perforant, & subcutanei fiunt.

Ramus nervi cervicalis quarti in sinistro colli latere supra elevatorem scopulæ excurrens, nervo spinali recurrenti adjunctus 15. 16., ad musculum rhomboidem 21. 16. terminatur.

Nervi cervicalis quinti ramus in dextra parte apparet; ubi perforat scalenum 13. 21. se per dorsum demittit, ramisque suis ad rhomboidæum majorem pertinet.

Alii hujus quinti paris nervorum cervicalium rami procedunt per lunulas scapularum, quæ sunt juxta processus coracoidæos 17. 14., & 17. 24., atque ad musculos supraspinatos, & infraspinatos scapulæ percurrunt.

Nervorum axillarium ramus infra scapulam sinistram supra musculum serratum majorem ludit, 26. 12.

Ex musculis intercostalibus emergunt nervorum costalium rami, qui per thoracis posteriora distribuuntur.

Plurimi patent nervorum dorsalium, & lumbalium rami per eos musculos exeuntes, qui dorso, & lumbis juxta spinam adjacent.

Aliquot adnotandi nervorum lumbalium rami, qui abdominis musculos transversos perforant, posteaque inter eos, & obliquos internos decurrunt in anteriora 16. 14. & 16. 24.

Nervi ex quatuor posterioribus ossis sacri foraminibus prodeuntes, 41. 20.

Magni nervi ischiadici 45. 15. & 45. 24., eorumque ramorum insertiones in posticos, tum proximos, tum remotos artuum inferiorum musculos, clarissime apparent.

Ischiadicorum nervorum rami, qui ad anteriorem crurum faciem procedunt 66. 15. ½ & 66. 25., quorum decursum adnotavimus in Tabula præcedenti.

Truncus nervi ischiadici progrediendo sub genu fit popliteus; postea tibialis audit, qui descendendo transit retro malleolum internum, uti videre est in hujus figuræ pede sinistro 86. 20.; tandem plantaris evadit 84. 15., ubi in duos ramulos unum internum, qui crassior est, alterum externum dividitur, quemadmodum in dextri pedis planta inspicitur.

Nervorum brachialium trunci tertii, qui pone ossa humerorum 23. 10., & 18. 28. procedunt, & in musculos extensores longos, extensores breves, & brachiales externos inseruntur.

In sinistro humero musculus deltoides in exteriora reflexus cernitur, ut hujus nervi insertio in interiori ejus facie 19. 10. conspiciatur.

Nervorum brachialium tertiorum trunci, qui perforatis supinatoribus brevibus penetrant ad exteriora cubitorum 37. 7. & 11. 14.;

ubi

ubi poſtquam vicinis muſculis ramos dederunt, incedunt ſub extenſoribus majoribus pollicum, & indicatoribus, infra quos emergunt.

In brachio ſiniſtro nervorum brachialium quartus internam brachii partem excurrit 36. 8. $\frac{1}{2}$ & ramos dat muſculo profundo.

TABULA XXI.

Videndos præbet nervos, qui a musculis egressi per subcutaneas partes ludunt.

Nervorum cervicalium secundi per occiput distributi, *6. 38.*

Nervi auditorii portio dura, ex quinti paris nervorum cerebri sobole composita, quæ ab internis ad externa aurium progreditur. Hic autem nervus pone auris lobum egrediens 10. 35. in duos statim finditur ramos; alterum, qui ad inferiores partes, puta parotidem 11. 35., & musculum buccinatorem; alterum contra, qui ad superiores 9. 34. $\frac{1}{2}$ ascendit: nimirum ad musculos zygomaticum, temporalem, atque ad auris elevatorem.

Nervorum cervicalium series ex tertio, & quarto pari, quæ ex collo ad anteriores musculos; præsertim vero ad sternomastoidæum, ac deltoidem fertur 12. 38., & 14. 39.

Nervi per superficiem tam thoracis, quam abdominis disseminati, costalium, & lumbalium sunt propagationes.

Ramus 42. 30., & 42. 42. illius nervi lumbalis, qui in Tabula XIX. musculum psoam perforat.

Nervi crurales 44. 32.; & 44. 40., quos ex conjunctione tertii, & quarti, portioneque secundi nervorum lumbalium oriri adnotavimus in Tabula XIX.

Nervi gemini per dorsum penis decurrentes 45. 36., qui ab ultimis ossis sacri oriuntur.

Nervorum cruralium rami, qui inter musculos sartorios, gracilesque *68. 26.* & *68.* 44. exeunt, & subcutanei fiunt.

Continuationes nervorum ischiadicorum in dorsum pedis dextri, 82. 21.

Nervi ischiadici extremum, quod per malleolum internum 86. 42. $\frac{1}{2}$ ad plantam pedis descendit. *Vid. Tab.* XX.

Ramus nervorum costalium inter secundam, & tertiam costam exiens 19. 45., unoque ramo ad dorsum pertinens, altero per brachium decurrens.

Nervorum brachialium truncus quartus 25. 25., & 18. 50., qui procedit per condylos majores humeri.

Primus Truncus nervorum brachialium inter musculum bicipitem, & brachialem internum 29. 21. $\frac{1}{2}$ emergens.

TABULA XXII.

Sanguineos ſubcutaneos canales, qui per poſticam corporis partem divagantur, delineat.

VEnæ, & Arteriæ ſubcutaneæ univerſam corporis ſuperficiem pererrantes; quarum aliæ ex ipſis muſculis; aliæ inter eos emergunt; aliæ ex anteriori parte prodeunt.

Pleræque venæ ſolæ incedunt ſine arteriis comitibus: quaſdam venas comitantur arteriæ venis exiliores.

Venæ ad invicem crebro coeuntes, diligentiſſime expoſitæ ſunt: quin etiam, quum tam in exortu, quam in progreſſionibus venarum ſubcutanearum admodum inconſtans eſſe ſoleat natura; hinc earum diverſa exhibita eſt ratio in dextro latere, diverſa in ſiniſtro.

Hæc omnia ex figuris ſatis apparent. A quibus autem ramis ſingulæ venæ, & arteriæ oriantur, quamquam de multis dici facile poſſet, attamen, quia omnium certa non conſtat ratio, neque id ſcrupulosè perquirere quidquam haberet utilitatis, neceſſarium viſum non eſt, eas exponendi operam ſuſcipere.

TABULA XXIII.

Proponit nervorum, quos Tab. XX. *expoſuerat, propagines, quum e muſculis emergunt, atque per poſticam totius corporis ſuperficiem diſperguntur.*

Portio dura nervorum auditoriorum 9. 26. *Vid. Tab.* XXI.

Nervi cervicales, quorum ſuperiores rami prope muſculi cucullaris initium prodeunt 7. 21. ½, & 7. 20. ½, atque poſticam capitis partem uſque ad verticem aſcendunt; ubi eorum conjunctiones cum inferiorum nervorum cervicalium ramuſculis 7. 23. ½ adnotantur.

Nervi dorſales per muſculum cucullarem, & latiſſimum dorſi egredientes.

Nervi lumbales.

Nervorum ischiadicorum rami, qui ſub glutæis muſculis emergunt, & inter bicipitem cruris, & ſemitendinoſum 50. 16., & 50. 27. ½ ad poplitem procedunt.

Nervi iſchiadici truncus ſub poplite 62. 10. ½ & 62. 30.

Eximia Auctoris diligentia in horum nervorum diſtributione adnotanda eſt: nam varietates, quæ in diverſis hominibus offendi ſolent, ne prætermitteret, hujuſmodi nervorum per poſteriorem ſuræ partem, inter gemellorum muſculorum conjunctiones diverſo modo delineavit. In ſiniſtro enim crure nervus hic ſub poplite in duas diviſus propagines deſcendit; in dextro autem is nervus citra poplitem deſinit: qui vero ramus ad ſuram delabitur, unicus in hoc dextro crure delineatur, & (quod aliam etiam oſtendit varietatem) a trunco nervi iſchiadici, ſub poplite, originem nanciſcitur. Hi demum nervi per malleolos externos ad pedis dorſum, atque ad digitos diſtribuuntur; ubi cum ramis nervorum iſchiadicorum anteriorum conjunguntur.

Ramus *tertii nervi brachialis, qui ex poſteriori* humeri parte exurgit 17. 12. & 22. 31., & *ſurſum ad muſculum deltoidem*; deorſum ad pleraſque univerſi brachii poſticas partes, divagatur. Adnotandum tamen eſt, quod ramuſculus ille, qui in dextro brachio ſupra muſculum longum extenſorem uſque ad olecranon decurrit, nervorum coſtalium ſecundi eſt ramus; quippe qui inter coſtam ſecundam, & tertiam exit, unoque ramo, ut adnotavimus *Tab.* XXI., ad dorſum pertinet, altero per brachium decurrit.

Ramus primi trunci nervorum brachialium, qui ex parte interna flexuræ cubiti ſiniſtri prope inſertionem muſculi bicipitis 12. 4. oritur, & ad digitum pollicem, atque ad manus dorſum progreditur.

Ramus quarti trunci nervorum brachialium ab externa carpi facie ad digitum minimum, atque anularem protenſus 36. 50.; ubi cum ramuſculis nervorum primi trunci in manus dorſo unitur.

TABULA XXIV.

Arterias, & venas intimè distributas per posticas corporis partes, ostendit.

AD tempora, & occiput apparent vasa sanguinea ex carotidum, & jugularium ramis proficiscentia, quæ per superiorem etiam partem musculorum splenii, & complexi, divaricari solent.

Ramus venæ jugularis internæ adnotandus, qui per foramen 10. 26. ½, quod, vel in futuræ lambdoideæ additamento, vel juxta illud, est, penetrat ad sinum lateralem duræ matris.

Rami arteriarum subclaviarum, qui sub exterioribus musculis colli per interiora spinati, & scapularium musculorum distribuuntur, in sinistra parte patent, 17. ½ 25.

Vasorum axillarium trunci 22. 20., & 21. 36., qui sub axilla sinistra ad interiorem partem musculi deltoidis, tricipitis, & ad scapulæ confinia, atque ad musculum serratum majorem ramos impertiuntur. Horum vasorum rami profundiores ligamentum, quod inter ulnam, & radium est, perforant 15. 50., & 35. 10., ac ad posteriora transeunt.

Venarum, & arteriarum intercostalium, & lumbalium rami in posteriora thoracis, & lumborum, undique pererrantes.

Vasorum hypogastricorum propagines inter os sacrum, & ischia per principia pyriformium musculorum ad nates exeuntes 43. 24. & 43. 29.

Venarum, & arteriarum cruralium rami 47. 22., & 47. 30. ½ sub inguinibus orti, & in posteriora penetrantes.

Venarum, & arteriarum rami insignes 51. 19., & 51. 32. a cruralium truncis proficiscentes. Hi rami ex postica, & superiori femoris parte (demptis glutæis, aliisque tibiam flectentibus musculis) per adductores magnos, sive tricipites ad posteriora femoris divagantur.

Ad poplitem inter ossis femoris condylos; venarum, & arteriarum cruralium trunci apparent 65. 20., & 65. 29., quorum divisiones in duas magnas venas, & arterias, ablatis musculis gemellis, plantaribus, & solæis, conspiciuntur. Horum vasorum interiores rami, tibiam respicientes, venæ, & arteriæ tibiales 73. 19., & 73. 28.; exteriores, fibulares 75. 18., & 75. 29., vocantur. Hæc vasa utrinque per malleolos ad extremum pedem progrediuntur.

In quolibet latere distributionis vasorum varietates exhibentur.

TABULA XXV.

Apertis infimo, & medio ventre usque ad jugulum, nec non detractis communibus ab universo corpore tegumentis, musculisque nonnullis diductis, proponit observanda majora vasa sanguinea, quæ ex corde per thoracem, & abdomen, & secundum musculos, & ossa undequaque suos abeunt in ramos.

COR cum auricula dextera, & vena coronaria minore 28. 30., quæ se cum ramis venæ coronariæ cordis majoris conjungit. *Vid. Tab.* XVI.

Vena cava superior, 25. 28. $\frac{1}{2}$

Venarum ad mediastinum, & pericardium pertinentium truncus recisus, 19. 28. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXVII. *fig.* 3.

Vena cava superior in duas venas subclavias divisa, 23. 28., & 23. 35.

Venæ subclaviæ ubi ad axillas venerunt 23. 23., & 23. 35. axillares dicuntur.

Venarum mammariarum radices 23. 28., & 22. $\frac{1}{2}$ 31. *Vid. Tab.* XXVII. *fig.* XII.

Vena thyroidea 22. 29. $\frac{1}{2}$, quæ se cum ramo venæ jugularis internæ dextræ conjungit.

Venæ jugulares internæ 21. 27. $\frac{1}{2}$, & 22. 30. $\frac{1}{2}$, quæ per collum ad caput distribuuntur. Harum venarum conjunctiones in collo circa glandulam thyroideam, & in facie ad mentum, radicem nasi, & frontem, adnotandæ. Animadversione etiam digna est rami hujus venæ jugularis internæ conjunctio cum segmento rami venæ jugularis externæ ante auriculam 13. $\frac{1}{2}$ 27. $\frac{1}{2}$ ascendentis.

Venarum jugularium externarum radices recisæ, 22. 27. & 22. 31. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXVII. *fig.* V.

Venarum subclaviarum rami, qui inter musculos serratos magnos anticos se demittunt, 25. 24., & 25. 34.

Venæ ex axillarium truncis procedentes, quæ inter musculos latissimos dorsi, & serratos magnos excurrunt 25. 23., & 25. 35., ramorumque altero ad latissimorum dorsi internam partem pertinent; altero ad serratorum partem externam.

Venæ axillaris ramus profundus 22. $\frac{1}{4}$ 20., qui circa medium humeri in duas propagines 22. 12. scinditur, quibus arteriæ truncum inde complectitur.

Venæ cephalicæ ex axillarium truncis 19. $\frac{1}{2}$ 11. & 19. $\frac{1}{2}$ 48. ortæ. In duos inde alios majores ramos axillarium trunci dividuntur, qui medianas venas, & basilicas constituunt, quæ in flexu cubiti cum cephalicis conjunguntur, ex quibus aliæ duæ venæ, ulnares scilicet, & radiales, ad manum usque procedunt. De his venis *Vid. adnotationes Eustachii Tab.* VIII. *fig.* 1. *&* 2.

Harum venarum progressum ad manum vario modo distribui sæpe solere ostendit Auctor; nam in aliquibus hominibus vena radialis in manus vola se cum vena ulnari conjungit

ad inſtar arcus, ut in dextra hujus figuræ manu expreſſum eſt, ex quo arcu venarum rami ad digitos feruntur: in aliis vero vena ulnaris aliquando a radiali diviſa ſuos ramos digitis impertitur, ut in ſiniſtra manu apparet.

Vena cava inferior 29. 28.

Venæ diaphragmaticæ, 30. 27., & 30. 49.

Venarum hepaticarum radices ea venarum germina ſunt, quæ in venæ cavæ inferioris trunco, inter venas diaphragmaticas, & emulgentes receſa apparent. *Vid. Tab.* XXVII. *fig.* I.

Venæ emulgentes, 36. 28., & 36. 30. de his venis *Vid. Tab.* I. *fig.* I.

Venæ ſpermaticæ. Harum ſiniſtra ab emulgentis venæ ſiniſtræ inferiori parte 38. 31. ½ oritur, dextra vero a dextra venæ cavæ parte aliquanto infra emulgentem 38. ½ 28. Apparent rami, quos emittunt ad partes, juxta quas incedunt. Apparent quoqne rami, quibus cum arteriis ſpermaticis junguntur. *Vid. Tab.* XII. *fig.* I.

Venæ iliacæ, 42. 28., & 42. 30.

Venæ hypogaſtricæ 45. ½ 28. ½, & 45. ½ 30. ½, quæ ramos per pelvim, nec non per anteriorem veſicæ urinariæ partem diſtribuunt, ubi diverſimode diviſi, rurſuſque conjuncti, confluunt in unicam venam ad penis radicem decurrentem. Confer *Tab.* XII. *fig.* I.

Venarum epigaſtricarum radices. De his vid. *Tab.* XXVII. *fig.* XII.

Venarum ſaphænarum trunci receſi, 49. 27., & 49. 33.

Venæ crurales, 51. 25., & 51. 34., quæ ramos per femora diſtribuunt: Horum ramorum varietates in duobus femoribus indicantur.

Venæ popliteæ ramus, qui in ſuperiori cruris parte inter tibiam, & fibulam, ſupra membranam cruris oſſibus interjectam, in anteriora decurrit 76. 12., & 76. 46.; poſteaque ſecundum tibiam per dorſum pedis deſcendendo, ad plantam penetrat.

Arteria aorta, 24 ½ 30.

Arteria coronaria dextra cordis 25. 30., quæ ramos adjungit ramis venæ coronariæ ſiniſtræ. Vid. *Tab.* XVI. *fig.* I.

Arteria ſubclavia ſiniſtra, 23. 30.

Arteria carotis ſiniſtra, 23. 29. ½

Arteriæ carotidis, & arteriæ ſubclaviæ dextræ radix communis 22. ½ 29. in aortæ arcu apparet.

Arteriæ carotides 22. 28. ½, & 22. 30. comites ſunt venis jugularibus internis.

Arteriarum mammariarum radices, 23. 28., & 22. ½ 31. Vid. *Tab.* XXVII. *fig.* 12.

Arteriæ ſubclaviæ ſub venis ſubclaviis procedunt, pareſque ramos externis thoracis muſculis, aliiſque ad cervicem, humerique ſupremam partem pertinentibus, diſtribuunt.

Arteriæ axillares comites venis axillaribus, quæ deinde uſque ad flexum cubiti, juxta venas baſilicas, deſcendendo, arteriæ brachiales dicuntur.

Arteriæ radiales, & ulnares, venis ulnaribus, & radialibus ſunt comites; eaſdemque in manibus oſtendunt varietates, ut ſuperius de venis adnotavimus.

Arteriæ aortæ deſcendeutis exitus è diaphragmate, ubi arteriæ diaphragmaticæ 35. 30., quæ ſuos ramos venarum diaphragmaticarum ramis adjungunt. In hac diaphragmatis inferiori parte adnotandum foramen 33. 30., per quod æſophagus penetrat in abdomen.

Arteriæ cæliacæ 35. ½ 29. ½, &

Arteriæ meſeraicæ ſuperioris, 35. ½ 30. radices ſupra emulgentem ſiniſtram apparent. Harum arteriarum propagationes incomparabili diligentia exponit Auctor inferius *Tab.* XXVII. *fig.* 2., & 4.

Arteriæ emulgentes, quæ ferè latent ſub venis emulgentibus.

Arteriæ ſpermaticæ, 37. 29., & 37. 30. ½ Harum uniones cum venis ſpermaticis adnotandæ; de quibus vid. quæ monuimus *Tab.* XII.

Tab. XII. *fig.* 1., & 3.

Arteriæ meſeraicæ inferioris truncus reciſus 38. 30. ½ Vid. *Tab.* XXVII. *fig.* 2., & 4.

Arteriæ iliacæ 43. 28., & 43. 31. comites venis iliacis.

Arteriæ hypogaſtricæ 45. ½ 28., & 45. ½ 31., quæ cum venis hipogaſtricis procedunt. In fætu ex harum arteriarum trunco arteriæ umbilicales oriuntur.

Arteriarum epigaſtricarum radices 48. 27., & 48. 32. ½ Vid. *Tab.* XXVII. *fig.* 12.

Arteriæ crurales 50. 25., & 50. 34., quæ cum venis cruralibus, quas comitantur, ramos ubique per femora diſtribuunt.

Arteriæ popliteæ ramus anteriorem penetrans cruris partem; dein inter tibiam, & fibulam, uſque ad dorſum pedis, & plantam percurrens. Harum arteriarum diſtributionis varietates in utriſque pedibus adnotandæ.

TABULA XXVI.

Omnibus thoracis, & abdominis viſceribus penitus detractis, arterias, & venas profundiores patefacit, quæ per medium, & infimum ventrem, nec non per artus, anterius ſpectatos, feruntur.

Superiori ſimilem vaſorum ſanguineorum figuram, & progreſſionem oſtendit; remotis tamen corde, diaphragmate, renibus, & veſica urinaria, nonnulliſque majoribus vaſis reſectis, ut ea, quæ in ſuperiori tabula ab his ſuperpoſitis extis occultabantur, in hac clarè exponerentur.

Vena cava ſuperior ſtatim infra ortum azygæ reciſa 21. ½ 29.; in cujus trunco venæ ad mediaſtinum, & pericardium pertinentes, quemadmodum & mammariæ, jugulareſque tam internæ, quam externæ, reciſæ apparent. Vid. *Tab.* XXV.

Venæ ſubclaviæ 20. 26., & 20. 23., quibus ſubſunt comites arteriæ ſubclaviæ.

Truncus venæ vertebralis dextræ, qui cum comite arteria intrat foramen proceſſus tranſverſi vertebræ ſextæ, 17. 28. Hic venæ vertebralis truncus naſcitur ex conjunctione duorum ramorum, quorum alter ex ſubclavia, alter ex axillari proficiſcuntur: de his vid. *Tab.* XXVII. *fig.* 7.

Venæ vertebralis dexteræ ramus, qui extra canalem vertebralem adſcendit, 15. 28.

Ex vena humeraria ſiniſtra, ſive cephalica ſiniſtra, venam jugularem externam non raro duplici principio 18. ½ 32. oriri *Euſtachius* oſtendit; de qua in ſuis *opuſculis de Vena profunda brachii Antigramm.* I. ita ſcripſit. *Ab humeraria illico jugularis externa, plerumque initio bifida, ſimulque claviculæ, foraminis inſtar viam præbens, oritur.* Venæ hujuſmodi figuram, & progreſſum oſtendit *Tab.* XXVII. *fig.* 5., & 7.

Ramus venæ axillaris profundæ, ſive baſilicæ, qui ligamentum ulnæ, radioque commune perreptat, 17. 7., & 38. 46. vid. *Euſtachii* explicationem *Tab.* VIII.

Vena ſine pari, ſive azygos 22. 28. ½, de qua, & de ſorore dextra, fusè egit *Euſtachius in libello de renum ſtructura cap.* 6., & varias icones, tum *Tab.* IV. primis tribus figuris, tum *Tab.* XXVII. *fig.* 5. 6., & 7., exhibet.

Venarum intercoſtalium rami ex vena azygos producuntur. *Euſtachius* de hac vena ſine pari *Antigramm:* 18. ſic ait; *Intercoſtales rami venæ ſine pari, quum primum ab hac originem traxerunt, una cum arteriis, inter membranam ſuccingentem, & muſculos intercoſtales exteriores primo feruntur, quandoquidem interiores ad radices coſtarum non pertingunt; deinde paulum progreſſi ab utroque horum muſculorum genere medii comprehenduntur.* Hoc apparet in latere dextro; in ſiniſtro autem totum vaſorum decurſum inſpicimus, propterea quod muſculi intercoſtales interni remoti ſunt. Qua ratione muſculi intercoſtales interni ad coſtarum radices non pertingant, exponitur *Tab.* XXXVIII.

Vena cava inferior mox ſupra emulgentium ortum reciſa, 32. 29.

Vena ſpermatica dextra, 34. 29.

Arteria aorta prope cor reſecta 22. 30.

Arte-

Arteriæ aortæ arcus, quo deorsum inflectitur, unde aortæ descendentis truncus exoritur, 22. 31.

Tres insignes arteriæ ex aortæ arcu exsurgunt, ascendentes aortæ trunci vocatæ; quarum prima truncum arteriæ subclaviæ sinistræ 21. 30. $\frac{1}{2}$ constituit; altera carotidis sinistræ 21. 29. $\frac{1}{2}$; tertia, posteaquam aliquantulum dextrum latus versus progressa fuit, in duos dividitur ramos, quorum uno carotidem dextram 19. 28. $\frac{1}{2}$; altero, subclaviam dextram, 19. 27. producit.

Rami arteriarum ex subclaviis proficiscentium, qui anteriorem penetrant faciem glandulæ thyroideæ, 17. $\frac{1}{2}$ 29., & 17. $\frac{1}{2}$ 30.

Arteriæ brachiales, venarum axillarium, sive basilicarum comites, sub eisque fere latentes, exhibentur.

In arteria aorta descendente, ubi infimum ventrem ingreditur, plurimi ab ea proficiscentes trunci recisi apparent. Arteriæ scilicet diaphragmaticæ, cæliaca, mesenterica superior, emulgens sinistra, utræque spermaticæ, & mesenterica inferior; de quibus vid. *Tab.* XXV.

Rami arteriarum lumbalium quinque ab utroque latere prodeuntes; quorum comites sunt venæ lumbales, abdominis transversos musculos penetrantes.

Arteriæ, & venæ hypogastricæ ex iliacarum truncis enatæ, quæ totam pelvis cavitatem pervadunt, 48. 28. & 48. 31.

Venæ, & arteriæ crurales 49. 27. & 49. 34.; ubi earum diramationum conjunctiones cum ramis vasorum hypogastricorum in interiori femoris parte exhibentur 49. 28., & 49. 32.

Varietates distributionis vasorum, quæ occurrere aliquando solent, tam in pedibus, quam in aliis corporis partibus, in hac, & in præcedenti figura, ut in omnibus his suis tabulis semper diligentissime consuevit, adnotare non destitit summus Anatomicus *Eustachius*.

TABU-

TABULA XXVII.

Hæc tabula, quaſi proxime prægreſſarum corporis humani arterias, venaſque complectentium, appendix, vel ſupplementum, varias diſtributiones, complexioneſque vaſorum ſanguineorum ſeorſim ſpectatas oſtendit, quæ in abdomine, thorace, ac artubus ſatis clarè in ſuperioribus figuris exhiberi non poterant.

FIGURA PRIMA.

SYſtema vaſorum hepatis, & veſiculæ fellis.

Vena cava inferior, tum ſupra 1. $\frac{1}{2}$ 12., tum infra hepar 12. 13. truncata, ex qua rami prodeunt majores, & minores, qui per hepatis ſubſtantiam diſtribuuntur.

Vena portarum 13. 11. duplici nata principio; ex vena ſcilicet ſplenica 13. 12., & vena meſeraica 14. 11.; deinde in tres ramos diviſa, per hepar incedens.

Arteria hepatica 12. 11., quæ in duos diviſa ramos hepar ingreditur. Horum ramorum inferior ramuſculum præbet veſiculæ fellis 11. 9., comite ramuſculo venæ portarum.

Ductus choledochus, ſive cholidochus 12. $\frac{1}{2}$ 10. $\frac{1}{2}$ ex ductu cyſtico, & ductu hepatico.

Ductus cyſticus truncatus 12. 10.

Ductus hepaticus, venæ portarum diviſionem proſequens, in tres ramos diviſus, 11. 10. $\frac{1}{2}$

Vena ad oſtium hepatis diſſecta 11. 14. $\frac{1}{2}$, quæ facto ſemicirculo 8. $\frac{1}{2}$ 12., partim cum ramis venæ portæ conjungitur, partim educto cylindrico canale 3. $\frac{1}{2}$ 12., in ſiniſtrum venæ cavæ latus deſinit. An vena umbilicalis ea ſit, ut *Lanciſius* putavit, an aliquod aliud vas, nihil dici poteſt, quod, ut *Morgagnus*, atque *Albinus* monent, non incurrat in aliquam difficultatem.

FIGURA SECUNDA.

DIſtributiones venæ portæ extra hepar, una cum arteriis; cæliaca nempe, & utriſque meſentericis.

Vena portæ intra viſcus, ubi tres inſignes diſtribuit ramos in cavam hepatis partem, ſecta 3. 41., uti adnotavimus in figura 1.

Venæ portæ ramus 5. 40. $\frac{1}{2}$, qui ſe conjungit cum vena coronaria ventriculi.

Vena gaſtroepiploica dextra 7. 40., quæ primum dat ramos inteſtino duodeno, & pancreati; dein ventriculo a parte ſuperiori, ab inferiori omento, quorum radices truncatæ ſunt. Horum ramorum decurſum per omentum vid. *Tab.* IX.

Vena meſeraica, 10. 13.

Vena ſplenica 6. 43., ex qua ramus 5. $\frac{1}{2}$ 43., qui eſt vena coronaria ventriculi.

Vena meſocolica 9. 45. e trunco venæ ſplenicæ nata.

Venæ

Venæ ſplenicæ extremum 9. 45. in plures ramos diviſum, quorum unus ad ſuperiorem partem converſus 8. 53. ventriculum petit; alii rami, qui truncati apparent 10. 54. lienem ingrediuntur; alius denique ramus deorſum vergendo 13. 52. venam gaſtroepiploicam ſiniſtram conſtituit; qui ramus cum vena gaſtroepiploica dextra 7. 40. conjunctus, lineam curvam efformat, quæ ventriculi fundum deſcribit. Vid. *Tab.* x. *fig.* 2.

Arteria cæliaca ab aorta reſciſſa, 4. $\frac{1}{2}$ 43.

Arteria hepatica in duos ramuſculos diviſa 4. 41., &

Arteria gaſtroepiploica dextra, comes venæ 5. $\frac{1}{2}$ 40., ex ramo dextro arteriæ cæliacæ, proficiſcens.

Arteria ſplenica 6. 44., quæ eſt ramus ſiniſter arteriæ cæliacæ, venæ ſplenicæ comes.

Arteria coronaria ventriculi 5. 43., & arteria gaſtroepiploica ſiniſtra 13. 52., quæ ſe cum dextra conjungit 7. 39., ex ſiniſtro arteriæ cæliacæ ramo provenientes; hæ arteriæ mox deſcriptarum eodem nomine venarum ſunt comites.

Arteria meſenterica ſuperior ab aorta reſciſſa, 4. $\frac{1}{2}$ 42.

Arteria meſenterica inferior 11. 45. vid. *Tab.* xi. *fig.* 1.

Arteriarum meſentericarum cum venis meſeraica, & meſocolica conjunctiones in meſenterio, & meſocolo, adnotandæ, earumque per omnes eas partes mirabilem diſtributionem, qua annulorum quandam ſpeciem conſtituunt; ex quibus annulis ramuſculi producuntur ad inteſtina ſpectantes, quorum ramuſculorum plurimæ radices undique exhibentur.

Adnotatione dignæ quoque ſunt harum venarum, & arteriarum ad ventriculum, meſenterium, & meſocolon progreſſiones, quæ ita diſpoſitæ ſunt, ut propriam, & naturalem ventriculi, meſenterii, & meſocoli, per quæ divaricantur, figuram, & poſitionem referant; quemadmodum eorum ſchema expoſitum eſt *Tab.* x. *fig.* 2., & *Tab.* xi. *fig.* 2.

FIGURA TERTIA.

VEna cava, ubi hiatus apparet 26. 7., quo cum dextra cordis auricula connectitur, & in truncum ſuperiorem, & inferiorem diſcriminatur.

Venæ cavæ ſuperioris magna diviſio in duas ſubclavias, 22. 6. & 22. 8.

Vena cava inferior mox infra duas ſuperiores venas hepaticas diſſecta, 29. $\frac{1}{2}$ 6.

Venæ ad mediaſtinum, & pericardium pertinentes 24. 6., & 24. 9., qnæ inferius cum venis diaphragmaticis uniuntur, 29. 6., & 29. 9.

FIGURA QUARTA.

REſpondet figuræ ſecundæ; nam eſt idem ſyſtema venæ portæ una cum arteriis cæliaca, & meſentericis, ut quiſque facile cognoſcet: ſed rerum anatomicarum peritiſſimus, ac diligentiſſimus *Euſtachius* hanc iterum propoſuit figuram, ut varietates, quæ non raro in horum vaſorum origine, & ramificationibus occurrere ſolent, exhiberet.

Vena meſocolica, quæ in *fig.* 2. oritur a vena ſplenica, in hac figura ortum ducens a vena meſeraica, 19. 22.

Venæ ſplenicæ rami, 14. 32. $\frac{1}{2}$ qui ad ventriculum feruntur. In hac figura hæ venæ cum ramis venæ coronariæ copulantur, 14. 28.

Vena gaſtroepiploica ſiniſtra 24. $\frac{1}{2}$ 24. non conjungens ſe cum gaſtroepiploica dextra, 24. 22.

Ex hujus figuræ quartæ cum figura ſecunda comparatione intelligi ſatis poteſt, quomodo inter ſe venarum, arteriarumque complexus;

plexus, & distributiones differre soleant in mesenterio, & mesocolo.

FIGURA QUINTA, ET SEXTA.

HUjus quintæ, & sequentis sextæ figuræ inferiores partes, quæ diversas venarum sine pari, sive azygos, propagines demonstrant, jam dedit, atque explicavit idem Eustachius in suis *opusculis Tab.* IV. ad quam sciendi cupidos libenter mittimus. Verum in istis præsentis Tabulæ figuris, venarum præterea jugularium per collum distributiones singillatim exhibentur; nam

Figura V. venas jugulares externas patefacit 41. 3., & 41. 9., quarum sinistra duabus radicibus oritur. Apparent etiam plurimi rami venarum, qui per collum disperguntur, eorumque inter se conjunctiones: ceterum inferior hujus quintæ figuræ pars respondet *fig.* 2. *Tab.* IV.

Figura VI. venas ostendit jugulares internas 41. $\frac{1}{2}$ 12., & 41. 15., nec non externas 41. 11., & 41. 16., in quibus, tum diversas a præcedenti ramorum per collum divaricationes, tum eorum conjunctiones inter se & cum ramo venæ jugularis internæ sinistræ adnotamus; in reliquis hæc sexta figura similis est *fig.* 3. *Tab.* IV.

FIGURA SEPTIMA.

VEnæ cavæ superioris in duos truncos subclavios divisionem proponit, ex quibus omnes ramorum radices truncatæ sunt, ut clarè venas vertebrales, atque aliam non insuetam venæ azygæ distributionem exhiberet.

Vena vertebralis dextra, quæ duobus principiis oritur, 42. 17. Hæc vena dividitur in duos ramos, quorum internus per canalem processuum transversorum vertebrarum colli procedit, & conjunctiones habet cum ramo vertebrali externo.

Vena vertebralis interna sinistri lateris, quæ diverso modo duplex suum habet principium, 42. 21.

Vena azyga, sive sine pari, quæ se circa undecimam thoracis vertebram dividit in ramum dextrum, & sinistrum, 54. 19.

Vena, quæ azygæ munere in sinistro latere fungitur, 48. 20.

FIGURA OCTAVA.

QUasdam dextri brachii venas patefacit.

Vena cava superior juxta cor recisa, 35. 38.

Vena axillaris dextra 38. 32., ex qua rami pullulant, qui pertinent ad thoracis latus, & pectus.

Vena basilica parum supra internum humeri tuberculum in duos ramos divisa, 49. 32. $\frac{1}{2}$

Venarum brachii internarum cum externis variæ, multiplicesque conjunctiones adnotandæ.

FIGURA NONA.

VEnas brachii iterum exposuit *Eustachius*, ut varietates, quæ in horum vasorum ramificationibus occurrere solent, adnotarentur.

Vena cava superior juxta cor recisa, 32. 33.

Vena subclavia ad sinistrum brachium percurrens, 4. 35.

Vena cephalica, sive humeraria, 31. $\frac{1}{2}$ 39.

Vena axillaris in duos ramos 36. 41., alterum profundum, alterum superficiarium, divisa.

Ramorum crebræ conjunctiones apparent, eorumque decursus per cubitum, manum, & digitos.

FIGURA DECIMA, ET UNDECIMA.

HÆ figuræ ostendunt duas venas cavas, quæ intra thoracem echini, & muris non sunt simplices, sed geminantur, ipsum-

ipsumque cor medium tenent, hiante ad dextram orificio venæ cavæ 34. 50., & 52. 34. $\frac{1}{2}$, quo sanguis intra dextram auriculam, & ventriculum cordis ingeritur. De his vid. *Eustach. de Vena sine pari Antigramm.* XII.

FIGURA DUODECIMA.

VEnas, & arterias mammarias delineat, quæ se cum venis, & arteriis epigastricis conjungunt.

Vena cava superior 62. 8.. & arteria aorta 62. 9. juxta cor recisæ.

Venæ, & arteriæ mammariæ 63. 7. $\frac{1}{2}$, & 63. 9. $\frac{1}{2}$, quæ suos ramos conjungunt intercostalibus, atque ad mammas distribuunt.

Venæ 86. 5., & 86. 12., & arteriæ iliacæ, ex quibus oriuntur vasa epigastrica 85. 6., & 85. 10., quæ cum mammariis conjunguntur 74. 7., & 74. 10., ramosque dant musculis rectis abdominis.

FIGURA DECIMATERTIA.

DEmonstrat complexum trium magnorum pulmonis vasorum; bronchiorum nempe, arteriarum, & venarum, quorum singulæ ramificationes conjunctim per viscus sparguntur.

Aspera arteria juxta laryngem recisa, 65. 29.

Rami bronchiorum, 71. 28., & 71. 30.

Arteria pulmonalis juxta cor recisa, quæ in duos ramos dividitur, 72. 29.

Vena pulmonalis, ejusque sinus 75. 30., ex quo quatuor venæ nascuntur ramis suis per pulmones distributæ.

FIGURA DECIMAQUARTA, ET DECIMAQUINTA.

VArietates in his figuris proponuntur, quibus vasa sanguinea suis ramificationibus ludere solent; nam *fig.* 14. venæ truncum, conjunctum arteriæ, exhibet, quo miræ multiplicesque ramorum conjunctiones, ac inosculationes ostenduntur.

Fig. autem 15. Venas, & arterias delineat, extremos suos ramos æqualiter in seriem dividentes: quemadmodum observare licet in iis vasis, quæ ad pedis digitos distribuuntur.

TABU-

TABULA XXVIII.

Muſculos ferè omnes exhibet, qui anteriori totius corporis facie, detractis communibus integumentis, obſervari poſſunt.

AD myographiam pervenimus, quam ex hiſce tabulis abſolutiſſimam haurire licet; nam nihil ad muſculorum hiſtoriam pertinens ab *Euſtachio* omiſſum invenies. Præterea in partibus muſculorum carneis a tendineis, atque aponeuroticis, diſtinguendis; nec non in fibrarum muſcularium textura, ordine, decurſu, variiſque directionibus, delineandis, adeo noſter Auctor acumine, induſtria, ac diligentia præcelluit, ut non *Veſalii* tantum tabulas, alioquin præſtantiſſimas, ſed omnium aliorum, ad noſtram uſque ætatem, figuras, quantum ad uſus attinet anatomicos, longe poſt ſe reliquerit.

Nos autem cum *Lanciſio*, & *Martinio*, faciei, & cutaneorum capitis muſculorum, tum in hac, tum in ſequentibus tabulis delineatorum examen ad *Tab.* XXXXI. *fig.* 1. & 3. rejicere opportunius cenſemus; ubi hi muſculi amplioribus figuris ſeorſim exhibentur; quare ne eadem pluries repetamus, illis prætermiſſis, contenti nunc erimus ſummam perpendere peritiam, ac ſedulitatem noſtri Auctoris, quam in reliquis totius corporis muſculis patefaciendis adhibuit.

Biventer maxillæ inferioris, 12. 30. *Vid. Tab.* XXXII., & XXXV.

Stylohyoidæus, quem perforat biventer, 12. 29. *Vid. Tab.* XXXXI.

Os hyoides, 12. $\frac{1}{2}$ 30. *Vid. Tab.* XXXXI.

Corachohyoidæi, qui obliquè ſub ſternomaſtoideis, & cleidomaſtoideis deſcendendo, in duobus colli locis apparent, primo 14. 29. & 14. 31., altero 16. 27., & 16. 33. *Vid. Tab.* XXXXI.

Sternohyoidæi, 15. 29. $\frac{1}{2}$, & 15. 30. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXXI.

Sternothyroidæi, 17. 30. *Vid. Tab.* XXXXI.

Sternomaſtoidæi, 14. 27., & 14. 32. *Vid. Tab.* XXXII. XXXV.

Cleidomaſtoidæi, 16. 28. & 16. 32.

Scaleni medii, 15. 26. $\frac{1}{2}$, & 15. 33. *Vid. Tab.* XXXVII. XXXVIII., & XXXIX.

Elevator ſcapulæ, ſive muſculus patientiæ, 15. 26. *Vid. Tab.* XXXVI.

Cucullares, 14. 15., & 14. 29.

Deltoides, 18. 20., & 18. 39.

Pectorales, 21. 26., & 21. 34.

Serrati magni, 27. 23., & 27. 36. *Vid. Tab.* XXXIII., & XXXVI.

Latiſſimi dorſi, 27. 22., & 27. 37. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXIV.

Obliqui externi abdominis, 31. 24. & 31. 35. *Vid. Tab.* XXXV.

Funiculi vaſorum ſpermaticorum ex annulis muſculorum obliquorum prodeuntes, una cum muſculis cremaſteribus, ad teſtes pertinentes, 44. 29., & 44. 31.

Pectinæi, 46. 27., & 46. 32. *Vid. Tab.* XXXIII.

Pſoæ magni, 44. 25. $\frac{1}{2}$ & 44. 33. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXVIII.

Membranoſi, tenſores vaginarum femorum, ſive faſciæ latæ, 45. 22., & 45. 37.

Glutæi medii, 42. 22., & 42. 37. *Vid. Tab.* XXXIV.

Tab. XXXIV.

Vaſti externi, 52. 18., & 52. 37.

Recti, 52. 20., & 52. 35. *Vid. Tab.* XXXV.

Vaſti interni, 59. 19., & 59. 33.

Sartorii, 55. 22., & 55. 32.

Adductores longi, ſive tricipites, 50. 25., & 53. 31. *Vid. Tab.* XXXVI. & XXXVIII.

Seminervoſus, ſive ſemitendinoſus, 58. 23. *Vid. Tab.* XXXIV.

Gaſtrocnemii, ſive gemelli, 72. 22., & 72. 30. *Vid. Tab.* XXXIV.

Plantaris, 76. 30.

Solæi, ſive ſolares, 75. 21., & 75. 31.

Ligamentum annulare malleoli interni, 84. 22.. Hoc ligamento tres tendines retinentur, quorum primus, prope tibiam, eſt tendo muſculi tibialis poſtici; medius eſt tendo flexoris longi digitorum; ultimus tendo, qui prope calcaneum hæret, eſt flexoris longi pollicis.

Tibialis anticus, 75. 18., & 75. 33. *Vid. Tab.* XXXV.

Extenſor longus digitorum pedis, 75. 34. *Vid. Tab.* XXXV.

Peronæus longus, 80. 34. *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor longus pollicis pedis, 84. 32. *Vid. Tab.* XXXIII.

Peronæus anticus, 84. 33. *Vid. Tab.* XXXV.

Ligamentum annulare, quo retinentur tendines proficiſcentes ex muſculis Tibiali antico, extenſore longo pollicis pedis, extenſore longo digitorum, & peronæo antico, qui ab anteriori cruris facie, ad pedem, & digitos procedunt.

Abductor pollicis pedis, 84. 21.

Extenſor longus brachii, 25. 20. *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor brevis, 25. 43. *Vid. Tab.* XXXVI.

Brachialis externus, 30. 17. *Vid. Tab.* XXXVI.

Biceps brachii, 27. 16., & 27. 40. *Vid. Tab.* XXXII. & XXXV.

Brachialis internus, 29. 16., & 26. 41. *Vid. Tab.* XXXVIII.

Radialis externus, 34. 8., & 34. 43. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXVII.

Supinator longus, 33. 10., & 33. 42. *Vid. Tab.* XXXV.

Pronator teres, 32. 14.

Radialis internus, 35. 10. *Vid. Tab.* XXXV.

Palmaris longus, 34. 14. Adnotandum, quod hujus muſculi tendo non ſubit ligamentum carpi armillare, ſed per peculiare ligamentum, in centro ligamenti armillaris apertum, trajicitur, 39. 5. $\frac{1}{2}$ Præterea ubi is tendo in manus vola incipit expandi, portiunculam aponeuroticam pollicem verſus explicat 39. $\frac{1}{2}$ 4. $\frac{1}{2}$; Hanc hujus ligamenti appendicem adnotavit quoque *Douglaſſius*.

Ulnaris, ſive cubitalis internus, 36. 12. & 36. 46. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXV.

Ulnaris, ſive cubitalis externus, 37. 46. *Vid. Tab.* XXXIV.

Extenſor communis digitorum manus, 36. 44.. Adnotandum, quod quatuor tendines, in quos muſculus hic in manus dorſo ſe dividit, priuſquam ad digitos accedant, variis inter ſe tendineis productionibus, quas tendines ſuccenturiatos nominavit *Martinius*, mirifice colligantur, *Vid. Tab.* XXXIV.

Abductoris pollicis pars ſuperior, 39. 43. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXVI.

Abductoris pollicis pars inferior, 40. 44.

Extenſor minor pollicis, 41. 44. *Vid. Tab.* XXXVI.

Ligamentum carpi annulare, quo obducuntur tendines, qui ad manus dorſum tendunt, 44. 45.

Radialis externus, qui ſubit ligamentum tranſverſum annulare carpi 42. 44., in duos plerumque tendines dividitur, unde bicornis quoque nominatur. Hi tendines in metacarpi primo, & ſecundo oſſe inſeruntur, 44. $\frac{1}{2}$ 44. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXVII.

Extenſor major pollicis, 42. $\frac{1}{2}$ 44. $\frac{1}{2}$, ejuſque tendo, 46. 43. *Vid. Tab.* XXXIV.

Exten-

Extensoris majoris, & minoris pollicis tendo communis, 47. 42.

Tendo indicatoris, 46. 44. $\frac{1}{2}$ Hic tendo superjacet tendini extensoris communis indicis digiti.

Palmaris brevis, sive caro quadrata 41. 6. *Vid. Tab.* xxxv.

Thenar, 39. 4.

In manus vola elegantissimè exhibentur expansiones aponeuroticæ tendinis musculi longi palmaris ad digitorum radices tendentes, & in bifurcatas extremitates abeuntes, ex quarum pertusis extremitatibus prodeunt tendines musculi sublimis, sive perforati, nec non profundi, sive perforantis, qui digitorum flexionibus inserviunt, *Vid. Tab.* xxxv.

TABU-

TABULA XXIX.

Poſticos exhibet totius corporis muſculos in dimidia ſiniſtra parte communibus integumentis ſubſtratos; in dextra vero, demptis aliquot primis muſculis, ſequentium muſculorum syntaxim patefacit.

Occipitales, 6. 27., & 6. 31.

Temporalis, 4. 34.

Complexi 8. $\frac{1}{2}$ 29., & 8. $\frac{1}{2}$ 30. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXIX.

Splenii capitis 9. 28., & 9. 32. *Vid. Tab.* XXXVI.

Maſtoidei pars, ſive, ſecundum *Albinum*, Cleidomaſtoideus, 12. 34.

Elevator ſcapulæ, ſive muſculus patientiæ, 15. 34. *Vid. Tab.* XXXVI.

Serratus poſticus ſuperior, 15. 33. *Vid. Tab.* XXXVI.

Romboidæus minor, 15. $\frac{1}{2}$ 33.

Romboidæus major, 19. 33.

Trapetius, ſive cucullaris, 16. 30.

Sacrolumbalis, 22. 33. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXXVI.

Longiſſimus dorſi, 22. 33. *Vid. Tab.* XXXVI.

Latiſſimi dorſi, 25. 27. & 25. 37. *Vid. Tab.* XXXIV.

Obliquus internus abdominis, 37. 26. $\frac{1}{2}$

Obliquus externus, 36. 25.

Glutæus magnus, 40. 28. *Vid. Tab.* XXXIV.

Glutæus medius 40. 37. *Vid. Tab.* XXXIV.

Animadvertendum, quam eleganter hic, & in reliquis tabulis, ablata inveſtiente muſculos membrana, oſtendatur inceſſus, variæque directiones carneorum ſtaminum in muſculis occipitali, cucullari, deltoide, latiſſimo dorſi, glutæo, infraſpinato ſcapulæ, aliiſque nonnullis.

Coccygæus, 43. $\frac{1}{2}$ 33.

Sphincter externus ani, 46. 33. *Vid. Tab.* XXXVII.

Elevatores ani, 45. 33. *Vid. Tab.* XXXVII.

Ligamentum, quod a proceſſu acuto iſchii ad os ſacrum protenditur, 44. 34.

Pyriformis, 43. 36. *Vid. Tab.* XXXVI.

Geminorum ſuperior, 44. 37.

Obturator internus, 44. 36. *Vid. Tab.* XXXVII.

Geminorum inferior, 44. $\frac{1}{2}$ 37.

Quadratus femoris, 46. 38. *Vid. Tab.* XXXVII.

Adductores magni femorum, ſive Tricipites 48. 30. *Vid. Tab.* XXXVI., & XXXVIII.

Gracilis, 52. 29. *Vid. Tab.* XXXIV.

Semimembranoſi, 58. 25., & 58. 33. *Vid. Tab.* XXXVI.

Seminervoſus, ſive ſemitendinoſus, 56. 25. & 56. 34. *Vid. Tab.* XXXIV.

Bicipitis cruris longius caput, 58. 23., & 58. 35. *Vid. Tab.* XXXIV. & XXXVI.

Vaſtus externus 58. 38.

Plantaris, 68. 35.

Poplitæus, 68. 34. *Vid. Tab.* XXXVI.

Gaſtrocnemius, ſive gemellus 72. 75.. In crure dextro muſculus hic ablatus eſt, ejuſque tendo truncatus, & ex parte reflexus, 79. 34., ut plantaris muſculi progreſſus appareret, 80. 33. *Vid. Tab.* XXXIV.

Solæus, ſive ſolaris, 76. 24., & 76. 35.

Peronæus longus, 76. 23. & 84. 35. *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor longus digitorum pedis, 79. 23.

Peronæus anticus 84. 23. $\frac{1}{2}$, & 87. 36. *Vid. Tab.* XXXV.

Tab. XXXV.

Peronæus brevis, 82. 25., & 87. 35. *Vid. Tab.* XXXVIII.

Tendo Achillis, five chorda magna, 82. 27., & 82. 34.

Adductor digiti minimi pedis, 88. 21. & 88. 37.

Flexor longus digitorum pedis, 82. 33. *Vid. Tab.* XXXVI.

Deltoides, 20. 22. *Vid. Tab.* XXXIV.

Supraſpinatus, 17. 36. *Vid. Tab.* XXXVII.

Infraſpinatus, 19. 27., & 19. 36.

Rotundus, five teres, minor, 21. 26., & 19. 38. *Vid. Tab.* XXXVII.

Rotundus, five teres, major, 21. 25., & 21. 38. *Vid. Tab.* XXXVI. & XXXVII.

Extenſor longus brachii 23. 23. & 23. 40. *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor brevis, 23. 21., & 23. 42. *Vid. Tab.* XXXVI.

Brachialis internus, 23. 19. $\frac{1}{2}$

Supinator longus, 26. 18. *Vid. Tab.* XXXV.

Cubitæus, five ulnaris internus, 36. 15. & 36. 45.

Cubitæus, five ulnaris externus, 34. 15.

Extenſor proprius digiti auricularis, 39. 10.

Extenſor communis digitorum, 34. 13. *Vid. Tab.* XXXIV.

Radiæus, five radialis, externus, 32. 13., qui in duos dividitur muſculos, longum, & brevem; quare duplici tendine in exteriori offium metacarpi parte inſeritur, 40. 8., & 43. 48.; unde bicornis a nonnullis Anatomicis nominatur *Vid. Tab.* XXXVII.

Abductor longus pollicis manus 34. 48., qui plerumque in duas partes, ſuperiorem ſcilicet 35. $\frac{1}{2}$ 11., & 39. $\frac{1}{2}$ 48. $\frac{1}{2}$, & inferiorem 36. 11. & 41. 49. dividitur, *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor minor pollicis, 37. 10. & 43. 49. *Vid. Tab.* XXXVI.

Extenſor major pollicis, 39. 8., & 39. 47. *Vid. Tab.* XXXIV.

Indicator, 43. 48. *Vid. Tab.* XXXIV.

Tendo extenſoris minoris pollicis, 40. 5. $\frac{1}{2}$

Aponeuroſes ad tendines muſculi extenſoris majoris pollicis manuum accedentes 41. 5., & 46. 41., quæ partim oriuntur a muſculo flexori brevi; partim a capſa ligamentoſa pollicis articulum cum metacarpi offe retinente.

Abductor digiti indicis, 41. $\frac{1}{2}$ 6. *Vid. Tab.* XXXVI.

In digitorum dorſo tendines extenſores late porrecti cernuntur. De aponeuroſibus, & tendinibus ſuccenturiatis ad eos tendines accedentibus *Vid. Tab.* XXXIV.

TABU-

TABULA XXX.

Ostendit anteriorem, & paullo lateralem totius corporis prospectum, detractis solummodo communibus integumentis, ut, qui in superficie apparent musculi facile videri possint.

IN nitida, & undequaque speciosa hacce tabula, animadversione digna primo loco censenda sunt figura, & situs musculi latissimi colli, quem *Galenus* primus descripsit, & platysmamyoidem nominavit, 20. 22., & 20. 26.

Pectorales, 30. 25. & 30. 30.

Serratus anticus, sive pectoralis minor hac parte nudus à pectorali majore ob sublatum brachium, 28. 21.

Serratus magnus, sive dentatus major anticus, 31. 21.

Latissimus dorsi, 30. 18.

Obliqui externi abdominis, 37. 24. & 37. 31.

Glutæus magnus, 46. 19.

Aponeurosis glutæum medium tegens, 48. 22.

Tensores vaginarum femoris, sive musculi fasciæ latæ, 51. 25. & 50. 30.

Sartorius, 49. 26., & 49. 28. $\frac{1}{2}$

Recti crurum, 55. 30. & 62. 25.

Vastus externus vagina aponeurotica fasciæ latæ tectus, 59. 28.

Biceps cruris, 65. 19. $\frac{1}{2}$ & 65. 30.

Semitendinosus, sive seminervosus, 65. 20. & 65. 28.

Tricipitis, sive adductoris magni femoris portio eminens, 61. 23.

Gracilis, 64. 22.

Vastus internns, 64. 33. $\frac{1}{2}$ & 67. 23.

Gemellus, sive gastrocnemius, 73. 15. & 73. 30.

Solæus, 79. 10. $\frac{1}{2}$ & 79. 31.

Peronæus longus, 79. 32.

Peronæus brevis, 84. 31.

Duplex externi malleoli ligamentum 87. 31. & 88. 31. $\frac{1}{2}$ musculorum peronæorum longi, & brevis tendines complectens, eosque, aliter è propria sede facile elapsuros, accurate devinciens. Horum ligamentorum superius satis est omnibus notum, inferius autem non item; id tamen observavit *Douglassius*, qui peronæi brevioris proprium credidit; verum utrisque istis musculis commune & hoc ligamentum esse solet, ut id delineat *Eustachius* in hac præsenti, & in ea, quæ mox sequitur *Tab.* XXXI.

Extensor longus digitorum pedis, 82. 33.

Peronæus anticus, sive tertius 86. 32. $\frac{1}{2}$

Tibialis anticus, 74. 34. & 87. 7.

Extensor longus pollicis pedis, 88. 9. $\frac{1}{2}$ & 88. 35. $\frac{1}{2}$

Ligamentum, quo musculorum tibialis antici, extensoris longi pollicis, extensoris longi digitorum, & peronæi antici, sive minoris tendines in parte anteriori confinii crurum obducuntur, 84. $\frac{1}{2}$ 9. & 87. 34.

Tibialis posticus, 83. 7.

Flexor longus digitorum pedis 81. 10.

Flexor longus pollicis pedis, 83. 7.

Ligamentum, quo retinentur tendines musculorum tibialis postici, flexoris longi pollicis, & flexoris longi digitorum, qui inter malleolum internum, & calcaneum ad pedem delabuntur, 84. $\frac{1}{2}$ 7.

Abductor digiti minimi pedis, 91. 34.
Adductor pollicis pedis, 89. 8.
Teres major, 23. 15. $\frac{1}{2}$
Coracobrachialis, 21. 16.
Deltoides, 19. 18., & 23. 34.
Biceps brachii, 17. 11.
Extenſor longus, 21. 13. & 30. 35.
Brachialis externus, 19. 11., & 34. 39.
Brachialis internus, 16. 8., & 34. 40. $\frac{1}{2}$
Pronator teres, 14. 6. & 36. 43.
Palmaris longus, 37. 42. Adnotandum, quod in ſiniſtris de more conſpicitur hic muſculus palmaris longus, in dextris autem penitus deficit: quo in caſu ejus latum in vola manus tendinem 6. 17. ab interno carpi ligamento tranſverſo 7. 15. porrectum videmus; hanc in hoc muſculo varietatem *Veſalius* non raro obſervavit, atque etiam *Columbus*, *Couperus*, aliique, idem ſe aliquando vidiſſe confirmarunt.
Ulnaris internus, 10. 7. & 40. 46.
Radialis internus, 12. 8. & 38. 46.
Supinator longus, 14. 9. & 34. 45.
Radialis externus, 36. 48.
Sublimis, ſeu perforatus, 9. 11.
Tendo abductoris longi pollicis, 40. 52.
Flexor longus pollicis manus, 40. 53.
Profundus, 7. $\frac{1}{2}$ 13.
Palmaris brevis, ſive caro quadrata, 6. 15., & 43. 52.
Abductor digiti minimi, 44. $\frac{1}{2}$ 52. $\frac{1}{2}$
Aponeuroſis volæ 5. 17., & 43. 53., in qua portio ejus adnotanda, quæ ad principium muſculi thenaris, ſive abductoris brevis digiti pollicis accedit, 41. $\frac{1}{2}$ 52. $\frac{1}{2}$
Flexor brevis pollicis manus, 7. 18. & 42. 54.
Tendines perforati muſculi ſublimis, in ſecunda quatuor digitorum phalange deſinentes.
Tendines muſculi profundi, qui foramina tendinum muſculi ſublimis prætergreſſi, in digitorum extrema phalange inſeruntur,

TABU-

TABULA XXXI.

Patefacit exteriores muſculos, qui poſteriori totius corporis facie, detractis tegumentis, ſtatim ſeſe offerunt.

OCcipitalis, 12. 33., & 12. 36.
Attollens auriculam, 10. $\frac{1}{2}$ 39.
Temporalis, 9. 39.
Sternomaſtoideus, 14. 33. & 14. 38.
Splenius 16. 33. & 16. 37.
Complexus, 14. 33. $\frac{1}{2}$ & 14. 36. $\frac{1}{2}$
Elevator ſcapulæ, ſive muſculus patientiæ, 18. 32. & 17. 38.
Cucullaris, 20. 33. & 20. 39.
Infraſpinatus, 25. 32. & 25. 41.
Teres, ſive rotundus minor, 26. 30. & 26. 40.
Teres, ſive rotundus major, 28. 30. & 24. 43.
Rhomboides major, 27. 34. & 27. 40. $\frac{1}{2}$
Latiſſimus dorſi, 31. 34. & 31. 41.
Serratus, ſive dentatus, major anticus, 31. 28.
Obliquus externus abdominis, 39. 31.
Glutæus magnus, 47. 37. & 47. 42.
Faſcia lata, ſive tenſor vaginæ femoris, 49. 31.
Bicipitis crurum caput longum 65. 39. & breve, 65. 38.
Seminervoſus, ſive ſemitendinoſus, 61. 32. & 61. 40.
Semimembranoſus, 61. 31. & 61. 40. $\frac{1}{2}$
Triceps, ſive adductor magnus femoris, 54. 40.
Gracilis, 58. 31. & 58. 41.
Sartorius, 57. 30.
Vaſtus internus, 59. 28.
Gaſtrocnemius, ſive gemelli, 70. 30.
Solaris, 74. 27. & 73. 45.
Peronæus longus, 75. 46. Ejus tendo 82. 54.
Peronæus brevis, 77. 51. Ejus tendo, 82. 55.
Flexor longus digiti pollicis pedis, 84. 30.
Extenſor longus digitorum pedis, 78. 50.
Peronæus anticus, ſive minor, 78. 50. $\frac{1}{2}$
Ligamentum annulare anterius, quo tendines extenſorum muſculorum pedis, & digitorum retinentur, 83. 26. & 81. 51.
Ligamenta annularia duo, 80. 53. & 81. 53., quæ tendines muſculorum peronæi longi, & brevis pone malleolum externum complectuntur. De his ligamentis vid. quæ adnotavimus *Tab.* xxx.
Ligamentum, quo retinentur tendines muſculorum tibialis poſtici, flexoris longi pollicis, & flexoris longi digitorum, qui inter malleolum internum, & calcaneum ad pedem delabuntur, 85. 27.
Abductor digiti minimi pedis 83. 54.
Flexor longus digitorum pedis, 82. 28.
Tibialis antici tendo, 85. 25.
Tibialis poſtici tendo, 85. $\frac{1}{2}$ 27.
Abductor digiti pollicis pedis, 87. 25.
Deltoides, 18. 44. & 23. 26.
Brachialis internus, 15. 50. & 28. 21.
Extenſor longus brachii 21. 46. & 28. 26.
Extenſor brevis, 18. 50. & 29. 23.
Supinator longus, 13. 51. & 30. 19.
Radialis externus, 11. 50 & 32. 15.
Extenſor communis digitorum, 10. 50. & 34. 14.
Ulnaris externus, 9. 52. & 37. 15.
Ulnaris internus, 37. 15.
Extenſor proprius digiti auricularis 8. 47. & 39. 11.
Abductor longus pollicis manus in duas partes, ſuperiorem videlicet 9. $\frac{1}{2}$ 45. & inferio-

feriorem divisus.

Extensor minor pollicis, 8. $\frac{1}{2}$ 45., & 38. 8.

Ligamentum carpi annulare 7. 44. & 40. 8., quo tendines, qui ad manus dorsum tendunt, obducuntur.

Tendo musculi extensoris minoris pollicis, 39. 5.

Adductor pollicis, 41. 4.

Tendines extensores digitorum in manus dorso: de quibus *Vid. Tab.* XXXIV.

TABU-

TABULA XXXII.

Anterioris corporis prospectus in sinistro latere musculos post communia velamenta, dempto tamen latissimo colli, atque ligamentis, quibus manus, & pedis tendines retinentur, visendos exponit: in dextro autem latere, ablatis aliquot primis, his subjecti musculi exhibentur.

Miram *Eustachii* diligentiam in hac figura ostendit musculus biventer; nam illud foramen 12. 30. musculi stylohyoidæi, per quod biventris medius tendo trajicitur, nitidissime exculptum est: quo teudine in duos ventres musculus hic dividitur, superiorem scilicet 10. 32., & inferiorem 12. 29.; unde biventris nomine indigitatur *Vid. Tab.* XXXV.

Coracohyoidæus, 14. 30. $\frac{1}{2}$, & 16. $\frac{1}{2}$ 30.

Sternothyroidæorum extremitates, 18. $\frac{1}{2}$ 29. $\frac{1}{2}$, & 18. $\frac{1}{2}$ 30.

Mastoidæus, quem in duos distinctos musculos, accurate divisos, exponit *Eustachius*: nam in sinistro colli latere horum crassior delineatus est 17. 31., qui sterno inhæret, & sternomastoidæus nuncupatur. In dextro autem latere, ablato sternomastoidæo, alter musculus, quem cleidomastoidæum *Albinus* nominat, apparet. Musculus hic carnosa origine 17. 28., & 17. 32. a tertia claviculæ parte, sterno proxima, enatus, dum ad caput fertur, semper angustior evadit, & post medium quasi teres effectus, a priorique involutus, partim carneo, partim tendineo fine, in apicem apophysis mastoideæ acutus desinit.

Hujus musculi mastoidæi divisionem plerique auctores non animadverterunt; quare utrosque pro unico tantum musculo sternomastoidæo numerarunt. Verum nos *Eustachii* solertia in duos distinctos dispesci musculos clarissimè docemur.

Elevator scapulæ, sive musculus patientiæ, 16. 26.

Cucullaris, 15. 26. & 15. 35.

Subclavius, 19. 26.

Serratus minor anticus, sive pectoralis minor, 22. 25.

Latissimus dorsi, 24. 23.

Serratus magnus, sive serratus major anticus, 27. 24. & 27. 36. *Vid. Tab.* XXXIII., & XXXVI.

In dextro latere costæ apparent cum musculis intercostalibus externis.

Rectus abdominis 30. 28., qui a tegente membrana in superiori parte denudatus est, ut, qua ratione in ultimarum verarum costarum cartilagines digitatim inseritur, appareret, *Vid. Tab.* XXXIII.

Obliquus externus abdominis, 35. 35. *Vid. Tab.* XXXV.

Obliquus internus 40. 25., ubi, amoto obliquo externo, apparent in inguine tendineæ fibræ 44. 26. $\frac{1}{2}$, quæ ligamentum, *Poupartii* nominatum, constituunt *Vid. Tab.* XXXV.

Tab. xxxv.

Psoas magnus, 46. 26. & 46. 34. *Vid. Tab.* xxxviii.

Pectinæus, sive lividus, 48. 27., & 48. 34. *Vid. Tab.* xxxiii.

Cremasteres, 46. 29. & 46. 31.

Triceps, sive Adductor femoris, 51. 29. & 51. 34. *Vid. Tab.* xxxiii. & xxxvi.

Gracilis, 58. 37. *Vid. Tab.* xxxiv.

Semitendinosus, sive seminervosus, 59. 36. *Vid. Tab.* xxxiv.

Sartorius, 56. 37.

Vastus internus, 60. 29. & 60. 40.

Rectus, 54. 26. & 54. 39. *Vid. Tab.* xxxv.

Vastus externus, 58. 24. & 58. 43.

Gastrocnemius, sive Gemelli, 75. 31. & 75. 37.

Solæus, sive solaris, 78. 30. & 78. 39.

Tibialis anticus, 77. 42. *Vid. Tab.* xxxv.

Extensor longus digitorum pedis 77. 28. *Vid. Tab.* xxxv.

Peronæus brevis, 81. 27. *Vid. Tab.* xxxvii.

Peronæus anterior, 85. 28. *Vid. Tab.* xxxv.

Exensor proprius pollicis pedis, 89. 30. & 89. 40. *Vid: Tab.* xxxiii.

Flexor longus digitorum pedis, 87. 40. *Vid. Tab.* xxxvi.

Tibialis posticus, 87. 40. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* xxxiii., & xxxvii.

Flexor longus pollicis pedis, 87. 39. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* xxxvi.

Tendo Achillis, sive chorda magna, 87. 36.

Abductor pollicis pedis, 91. 40.

Choracobrachialis, & capitis brevioris musculi bicipitis brachii commune principium, 20. 23. *Vid. Tab.* xxxiii., & xxxv.

Biceps brachii, 27. 19. & 27. 42. *Vid. Tab.* xxxv.

Triceps brachii, 29. 20. & 29. 41. *Vid. Tab.* xxxvi.

Brachialis internus, 33. 16. & 33. 45. *Vid. Tab.* xxxviii.

Pronator teres, 35. 17. & 33. 44.

Supinator longus, 35. 15. & 35. 49. *Vid. Tab.* xxxv.

Radialis externus, 39. 13. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* xxxvii.

Palmaris longus, 36. 46.

Radialis internus, 38. 50. *Vid. Tab.* xxxv.

Cubitalis internus, 39: 49. *Vid. Tab.* xxxv.

Sublimis, sive perforatus, 40. 16. *Vid. Tab.* xxxiii.

Profundus, sive perforans, 40. 17. *Vid. Tab.* xxxiii., & xxxviii.

Flexor longus pollicis manus, 44. 13. *Vid. Tab.* xxxiii.

Tendines abductoris longi pollicis 44. 12. *Vid. Tab.* xxxiii.

Tendo extensoris pollicis, 45. 10.

Thenar, 45. 11.

Hypothenar, 45. $\frac{1}{2}$ 11.

Antithenar, 43. 55.

Aponeurosis musculi palmaris longi in vola, 43. 54.

Ligamentum interius carpi, sub quo transeunt tendines ad flexionem digitorum pertinentes, 45. $\frac{1}{2}$ 13.

Palmaris brevis, 46. 14. & 42. $\frac{1}{2}$ 52. *Vid. Tab.* xxxv.

Abductor digiti minimi, 48. 13. & 44. 52.

In vola manus dextræ musculi lumbricales a tendinibus musculi profundi proficiscentes, & lateribus (pollicem respicientibus) phalangis primæ quatuor digitorum inserti, conspiciuntur.

In digitis perforationes tendinum musculi sublimis nitidissime apparent, per quas transeunt tendines musculi profundi, qui in extrema quatuor digitorum phalange inseruntur.

TABULA XXXIII.

Detractis aliquot supernis musculis a thorace, abdomine, & artubus, penitiores alios ostendit.

Geniohyoidæus, 10. 36.
Basilioglossus, 10. 37.
Genioglossus, 9. 36.
Ceratoglossus, 10. 37. $\frac{1}{2}$
Styloglossus, 8. $\frac{1}{2}$ 37.
Stylopharingæus, 10. 38.
Os hyoides, 10. 37.
Hyothyroidæi, 11. 36. & 11. 38.
Rectus internus major capitis, 11. 38. $\frac{1}{2}$
Splenius, 9. 40.
Complexus, 9. 41.
Elevator scapulæ, sive musculus patientiæ, 13. 41.
Scalenus, 15. 36., & 13. 40.
Coracohyoidæus, 14. $\frac{1}{2}$ 40.
Sternohyoidæus, 15. 38.
Musculi intercostales externi, quorum fibræ antrorsum obliquè porriguntur, & cum fibris internorum intercostalium, qui contraria directione procedunt, decussantur.
Serratus magnus, 23. 44.
Rectus abdominis 35. 40.; in quo adnotantur lineæ tendineæ, partim transversè, partim obliquè, ejus carnem distinguentes; nec non ejusdem tria inæqualia extrema, quibus quintæ, sextæ, & septimæ costæ inseritur.
Transversus abdominis, 37. 33.
Aponeurosis musculi obliqui interni, ubi cum aponeurosi musculi transversi conjungitur, resecta lamella, 39. 36. $\frac{1}{2}$
Vasorum spermaticorum funiculi, 42. 37. & 41. 41.
Pyramidalis, 41. 39.
Cremasteres 44. 38. & 44. 40., quibus accedunt aliquot fibræ musculares, procedentes a margine musculorum obliquorum abdominis, 42. $\frac{1}{2}$ 38. & 42. $\frac{1}{2}$ 39. $\frac{1}{2}$
Glutæus minor, 42. 32. & 42. 45. *Vid. Tab.* XXXIV.
Iliacus internus, 42. 34. & 42. 43.
Psoas magnus, 44. 34. & 44. 43.
Pectinæus, sive lividus, 46. 34. & 46. 42.
Triceps cruris. Musculus hic a nonnullis Anatomicis in duos dispertitur musculos, quorum alterum adductorem longum 47. 36. & 47. 41., alterum 50. 35. & 50. 40. adductorem magnum nominarunt.
Vastus internus, 55. 41.
Cruralis, 52. 29.
Vastus externus, 52. 45.
Aponeurosis communis tendinum extensorum genu, quæ patellam supergressa, tuberculo anteriori tibiæ inseritur, 66. 27. $\frac{1}{2}$ & 66. 42.
Poplitæi finis in tibia, 67. 29. *Vid. Tab.* XXXVI.
Peronæus longus, 69. 27. & 69. 44.
Peronæus brevis, 78. 28. & 78. 42. $\frac{1}{2}$, ejusque tendinis finis in capite primo ossis metatarsi digiti minimi, 86. 42. $\frac{1}{2}$
Flexor longus digitorum pedis, 75. 40.
Extensor longus pollicis pedis, 80 41.
Extensor brevis digitorum, 86. 41.
Aponeurosis accedens ad tendinem longi extensoris pollicis, 88. 38.
Ligamentum, quo retinetur tendo musculi tibialis postici, 84. $\frac{1}{2}$ 30.
Coracobrachialis 16. 29. & 17. 45., in cujus capite apparet truncatum brevius caput musculi bicipitis 16. 30. & 16. 44., quod cum eo commune habet principium.
Latissimus dorsi truncatus, 17. $\frac{1}{2}$ 29. $\frac{1}{2}$
Extensor longus cubiti, 22. 46.

Exten-

Extenſor brevis, 21. 48. $\frac{1}{2}$

Brachialis internus, 13. 20. & 25. 50.

Ut in plurimis aliis partibus, ſic quoque in dextero hujus figuræ brachio varietates, quæ in muſculi bicipitis ſtructura occurrere quandoque ſolent, adnotare non prætermiſit diligentiſſimus noſter Auctor: nam in medio hujus oſſis humeri, ſub finem coracobrachialis, faſciculi duo muſculares cernuntur, qui poſteriori parti tendinis bicipitis immiſcentur; quæ varietas ex truncatis duobus capitibus bicipitis 14. 18. quibus conjuncti inhærent, nitidiſſime apparet.

Bicipitis pars in ſiniſtro brachio inſpicitur 26. 49., quæ aut ab oſſe humeri oritur, aut eſt muſculi brachialis interni proceſſus, qui ad ſuperincumbentem muſculum bicipitem accedit, cujus extremo, quod reciſum eſt 30. 50. $\frac{1}{2}$, inhæret. Hæc inſculpſit Auctor, ut aliam varietatem, quæ in his muſculis occurrere aliquando ſolet, indicaret.

Pronator teres, 31. 50.

Radialis externus, 11. 15. & 34. 53.

Sublimis, ſive perforatus 13. 13., in quo alterum principium 11. $\frac{1}{2}$ 14. a radio pronatum adnotandum.

Profundus, ſive perforans, 35. 50.

Flexor longus pollicis manus, 39. 52.

Abductor longus pollicis 42. 53., in cujus extremo partes duæ, in quas ſeſe dividit, apparent.

Extenſor minor pollicis, 45. 53. $\frac{1}{2}$

Ligamentum interius carpi, ſub quo tendines ad volam procedunt, 6. 5.

Quatuor tendines muſculi ſublimis, qui ad digitos progrediuntur, nec non tendo muſculi flexoris longi pollicis, in vola manus dextræ ſatis conſpicui ſunt.

Unus ex quatuor tendinibus muſculi profundi, qui perforato tendine muſculi ſublimis in extremam digiti phalangem inſeritur, in dextræ manus digito indice apparet.

TABU-

TABULA XXXIV.

Poſteriorem ſceleti faciem oſtendit, cui appoſiti ſunt aliquot muſculi a propria membrana denudati.

IN hac, & in proximè ſubſequentibus Tabulis noſter Auctor non ſolum, quomodo muſculi oſſibus adhæreant ſua ſumma peritia fideliter, & ſecundum naturam diligentiſſime expoſuit, verum etiam ordinem fibrarum, quo unuſquiſque muſculus compingitur, accuratè delineavit: quæ duo utiliſſima ornamenta, præ aliis omnibus reliquorum Anatomicorum Tabulis, quæ ad nos huc uſque pervenerunt, nitidiſſimè proſequutus eſt.

Attollens auriculam, 5. 27.

Occipitalis, 7. 30.

Retrahens auriculam, 8. 28.

Cucullaris, ſive Trapetius, 15. 28. Hujus muſculi fibræ trifariam ductæ ſunt ad vertebrarum ſpinas; in medio ſcilicet rectæ porriguntur 16. 26.; ſuperius obliquè ſurſum 13. 28.; inferius verò obliquè deorſum 23. 29. incedunt. Adnotetur inſuper plaga tendinea juxta ſpinas duarum inferiorum colli vertebrarum, totidemque ſuperiorum dorſi 16. 29. $\frac{1}{2}$, nec non ejus extremum tendineum circa ſpinam ſcapulæ, 17. 25.

Rhomboidæus minor, 18. 32.

Rhomboidæus major, 18. 31.

Latiſſimus dorſi, 25. 35. Fibras is habet obliquè deorſum decurrentes, quæ in ſuam amplam tendineam partem, in ſpinoſis vertebrarum apophyſibus deſinentem, inſeruntur.

Glutæus magnus, 43. 26.

Glutæus medius, 40. 35.

Gracilis, 55. 26.

Semitendinoſus, ſive ſeminervoſus, 59. 32. *Vid. Tab.* XXXV.

Bicipitis caput longius, 61. 34.

Gaſtrocnemius, ſive gemellus, 63. 22. In hujus muſculi capitum origine, quæ ſupra condylos femoris eſt, fibræ carneæ à proximis fibris decurſu diſcrepantes adnotandæ.

Plantaris, 67. 33.

Solaris, ſive Solæus, 75. 33. Tres iſti muſculi, Gaſtrocnemius ſcilicet, plantaris, & ſolaris in illum craſſum tendinem deſinunt, qui chorda magna, ſive Achillis tendo nominatur. Id inſuper in hac figura obſervatione dignum eſt, quod in dextro crure hic Achillis tendo juxta illam partem, qua gaſtrocnemius ſolæo adjungitur, truncatus eſt 79. 32., & ita reflexus, ut tendinis muſculi plantaris progreſſus conſpiciatur, 74. 31.

Deltoides, 19. 21. Hujus muſculi ſtamina ſummo exculpta ſtudio miramur: nam fibrarum directiones ita diſpoſitæ cernuntur, ut, ex pluribus quaſi penniformibus muſculis deltoidem componi, nitidiſſimè appareat.

Extenſor communis digitorum manus 40. 6. ex tribus diſtinctis portionibus muſcularibus (quod inter varietates, quas aliquando habere ſolet, accenſendum) in hac figura compoſitus exhibetur. Quatuor hujus muſculi tendines, poſteaquam aliquot reticulares in manus dorſo conjunctiones, quæ tendines ſuccenturiati nuncupantur, ſibi mutuo ſuppeditarunt, totum digitorum dorſum, latiores facti, complectuntur, & in extrema phalange ad unguium radices deſinunt.

TABULA XXXV.

Anteriorem ſceleti aſpectum exhibet cum aliquot muſculis propria membrana denudatis.

DE faciei muſculis *Vid. Tab.* XLI.

Mylohyoidæi inter mentum, & os hyoides concurrentes, & conjuncti inter ſe, 9. 27. $\frac{1}{2}$

Stylohyoidæus, 9. $\frac{1}{2}$ 29.

Biventer. In dextro latere ejus duo ventres cum intermedio tendine liberè obſervantur: unus ſcilicet in conſpectum ponitur venter ortus ad radicem internam proceſſus maſtoidæi, 9. 26.: alter maxillæ inferiori inſertus 9. 27. Ambo per tendinem in medio conjuncti, unicum muſculum efformant. In ſiniſtro autem latere, quomodo biventris tendo muſculum ſtylohyoidæum perforet, indicatur, 9. $\frac{1}{2}$ 29.

Os hyoides, 10. 28.

Maſtoidæus, 11. 31.

Muſculus hic duplex habet principium; partim enim a ſterno, partim a clavicula oritur; ubi varia etiam eſt fibrarum muſcularium directio: quare in duos diſtinctos muſculos, ad mentem *Galeni* dividit maſtoidæum *Euſtachius*, aſſerens in ſua epiſtola *de motu Capitis pag.* 231., quod *horum muſculorum diviſio in interna regione conſpicua eſt*. In ſiniſtro itaque hujus figuræ latere duplex maſtoidæorum principium exculptum eſt, alterum a ſterno exoriens 15. 29., quod muſculum ſternomaſtoidæum nominamus; alterum a clavicula 15. 30., quod, proprio nomine cleidomaſtoidæum vocat *Albinus*. In dextro autem latere ſuperpoſitus ſternomaſtoidæus detractus eſt; hinc nuda ſuppoſiti muſculi cleidomaſtoidæi fibrarum ſeries, earumque progreſſus cernitur; quo, muſculus hic, à lata baſi 15. 26. in pyramidem exſurgit.

Subclavius, 16. 24.

Pectoralis minor, ſive dentatus, aut ſerratus minor anticus, 19. 24.

Pectoralis major, 20. 30. Hujus muſculi cohæſio cum aponeuroſi obliqui externi adnotanda, 25. 30.

Obliquus externus abdominis, 32. 33. Ejus capita denticulata, quibus à coſtis oritur, obſervantur.

Obliquus internus, 34. 23. Locus ubi hic muſculus ſuam aponeuroſim cum aponeuroſi obliqui externi conjungit, (qua conjunctione linea candida conſtituitur), ſigno truncatæ aponeuroſis obliqui externi indicatur, 36. 26. $\frac{1}{2}$

Sartorius, 53. 35.

Seminervoſus, ſive ſemitendinoſus, 47. 32. Ejus tendinis latitudo, qua tibiæ inſeritur, 67. 38.

Gracilis, 49. 30.

Rectus cruris, 50. 23., cujus fibræ penniformem ſpeciem exhibentes nitidè delineantur.

Extenſor longus digitorum pedis 73. 23.

Peronæus anterior, 81. 23.

Tibialis anticus, 70. 39. Ejus tendo poſteaquam aliquam ſui portionem dimiſit, qua veluti in duos divaricatus tendines, graciliorem alium tendinem conſtituit, qui ſupra metatarſum ad pollicem decurrit 84. 38., in os primum metatarſi cuneiforme inſeritur, 84. 37.

Abductor pollicis pedis, 85. 36.

Deltoides, 17. 37.

Bicipitis brachii caput brevius 17. 20. $\frac{1}{2}$, quod cum ſuppoſito muſculo coracobrachiali commune habet principium à proceſſu coracoide. *Vid. Tab.* XXXIII.

Bicipitis brachii caput longius, 18. 19. Hæc capita ſimul conjuncta ventrem conſtituunt, ex quo communis tendo oritur, 29. 14. $\frac{1}{2}$, qui radio inhæret.

Supinator longus, 31. 13.

Palmaris longus, 32. 42. Lata muſculi palmaris aponeuroſis in vola manus ſe in quatuor findit portiones, quæ ad extremum bicornes fiunt. Adnotanda inſuper eſt illa parva hujus aponeuroſis portio, quæ ad principium muſculi thenaris accedit, 39. $\frac{1}{2}$ 51. $\frac{1}{2}$ *Vid. Tab.* XXVIII.

Radialis internus, 33. 45.

Ulnaris internus, 35. 44.

Palmaris brevis, ſive caro quadrata, 44. 13.

Flexor brevis pollicis manus, 44. 11.

TABU-

TABULA XXXVI.

Posticam, & paullo lateralem sceleti faciem delineat cum aliquot musculis propria membrana denudatis.

Temporalis, 6. 24.
Maseter, 10. 24.
Splenius capitis, 11. 22.
Levator scapulæ, sive patientiæ musculus, 14. 18.
Serratus, sive dentatus, posticus superior, 17. 19.
Serratus, sive dentatus, magnus, 25. 13.
Serratus, sive dentatus, posticus inferior, 31. 18.
Obliquus internus abdominis, 36. 14.
Portio aponeurosis musculi latissimi dorsi, qua obliqui interni, & serrati postici inferioris aponeuroses obducuntur, 37. 18.
Sacrolumbalis, 26. 22.
Longissimus dorsi, 26. 21. Hi duo musculi commune habent principium, 36. 21.
Ligamentum ab osse sacro ad ischii tuber protentum, 44. 17.
Coccygæus, 44. 21.
Elevatores ani, 45. 18. & 45. 20.
Sphincter ani cutaneus, sive externus, 46. 19.
Ligamentum, quod inter os sacrum, & processum acutum ischii, 43. 21. extenditur.
Glutæus minor, 42. 25.
Pyriformis, sive iliacus externus, 43. 16.
Triceps cruris, sive adductor magnus femoris, 53. 25.
Cruralis, 56. 30.
Semimembranosus, 55. 16.
Vastus internus, 59. 18.
Vastus externus, 57. 13.
Bicipitis cruris caput brevius 60. 14. $\frac{1}{2}$, cujus caput longum truncatum cernitur ad communem tendinem, qui capiti superiori fibulæ inseritur, 65. 14.
Poplitæus, 67. 29.
Peronæus longus, 74. 31.
Flexor longus pollicis pedis, 80. 16.
Flexor longus digitorum pedis, 80. 18.
Abductor digiti minimi, 88. 30.
Teres major, 21. 27.
Tricipitis brachii caput longius, sive extensor longus, 22. 12.
Extensor brevis, sive tricipitis caput secundum, 22. 10.
Brachialis externus, sive tricipitis brachii caput brevius, 16. 33.
Radialis externus, 12. 41.
Abductor longus pollicis manus, 37. 5.
Extensor minor pollicis manus, 39. 5.
Abductor digiti indicis, 4. 53. Tendinis hujus musculi concursus cum proximo communi tendine digitum indicem extendente, elegantissime exculptus est. In medio enim primæ phalangis hujus digiti funiculus tendineus à musculo extensore communi, & indicatore propagatus, 3. $\frac{1}{2}$ 54.; nec non in ejusdem interno latere musculi interossei tendo inter indicem, & medium digitum descendens 3. $\frac{1}{2}$ 54. $\frac{1}{2}$, truncati apparent.
Abductor digiti minimi manus, qui hypothenar a *Riolano* nominatur, 45. $\frac{1}{2}$ 4. Musculus iste, uti etiam musculus abductor digiti minimi pedis, in tendineo funiculo minimum digitum extendente eodem modo inseruntur, ut de digiti indicis abductore mox adnotavimus.

TABULA XXXVII.

Postica sceleti parte non solum colli musculos, sed aliquot etiam alios profundè ossibus adhærentes proponit.

COmplexi, 12. 33. & 12. 34. Portio horum musculorum, quæ ad eos accedit 15. 33. a spinosis oriens superiorum dorsi vertebrarum processibus; nec non plagæ tendineæ, quibus hic illic referti sunt, adnotandæ.

Trachelomastoidæi, sive complexi minores, 10. 31. & 10. 35.

Splenius colli, 15. 32.

Transversalis cervicis 15. 35. à processibus transversis superiorum vertebrarum dorsi per plura capita oriundus.

Scaleni pars postica 16. 35. $\frac{1}{2}$, cujus origo à secunda costa.

Scaleni pars media 15. 36., quæ oritur à prima costa.

Intercostales externi.

Longissimus dorsi, 28. 31. $\frac{1}{2}$

Sacrolumbalis extra situm propendens, 41. 24.

Caput commune sacrolumbalis, & longissimi dorsi, 36. 31.

Spinales dorsi, 24. 32. $\frac{1}{2}$ & 24. 33. $\frac{1}{2}$

Parvi musculi costarum elevatores *Stenonis*, jam *Casserio*, & *Spigelio* non ignoti, à thoracis vertebrarum processibus transversis exorti, & in postica costarum superficie prope spinam desinentes, in latere dextro conspiciuntur.

Semispinosus, sive multifidus spinæ, 26. 34.

Aponeurosis musculi transversi ahdominis, 32. 29. $\frac{1}{2}$ & 32. 35.

Sphincter externus ani 46. 32., cujus pars anterior in mucronem desinens, reflexa est, 47. 32.

Elevatores ani, 45. 31. & 45. 33., quorum ortus ab acuto ischii processu clarissimè apparet.

Gemini superiores, 43. $\frac{1}{2}$ 32., & 44. 36.

Gemini inferiores, 44. $\frac{1}{2}$ 28., & 45. 36.

Obturator internus extra situm detractus 48. 41., ut ejus facies obversa tendineis stratis referta, in conspectum veniret.

Quadratus femoris, 46. 27.

Tibialis posticus 75. 29., cujus tendo incedit per sinum malleoli interni.

Peronæus brevis, 81. 45.

Supraspinatus, 16. 28. & 17. 38.

Infraspinatus, 18. 28., & 19. 38. In ejus medio plaga tendinea apparet, in quam convergunt fibræ carneæ.

Teres minor 19. 27. & 19. 41., cujus fibrarum penniformis directio summa arte exposita est.

Teres major, 22. 27.

Brachialis internus, 23. 20.

Radialis externus, 13. 50. & 32. 12. Musculus hic duobus tendinibus plerumque desinit, hinc bicornis quoque nominatur. Aliquando etiam tricornis reperitur: neque raro in duos musculos distinctus est; quare à nonnullis Anatomicis pro duobus musculis numeratur.

Anconæus, 29. 16.

Profundus, 32. 15.

Supinator brevis, 15. 54.

TABULA XXXVIII.

Intimos colli musculos, thoracis, abdominis, nec non aliquot artuum, parte anteriori exhibet.

Rectus lateralis capitis, 9. 22. ½ & 9. 26.

Rectus anticus minor capitis, sive annuens *Cowperi*, 9. 23., & 9. 25.

Rectus anticus major capitis, 11. 25.

Longus colli 16. 24., & 16. 25., qui ex duabus partibus constat; altera ad corpora vertebrarum 13. 24.; altera ad processus transversos 13. 23. ½ pertinente: quemadmodum totus detectus apparet in latere dextro.

Complexi minores, sive Trachelomastoidæi, 11. 22. & 11. 26. ½

Scalenus. In dextro latere unicum ejus principium a prima costa delineatur, 15. 22. In sinistro vero duo ejusdem principia ostenduntur, a prima scilicet, & secunda costa, duorum ad instar musculorum, 15. 26. & 15. 27.

Intercostales musculi tum externi, tum interni in thorace objiciuntur, qui obliquo fibrarum ordine costarum interstitia complent. Externorum autem, & internorum fibræ ob oppositam earum directionem litteras X. repræsentant. Duo tamen in internis musculis intercostalibus peculiari adnotatione digna sunt: unum, quod interiores hi musculi ad costarum principia, & vertebras non pertingunt; alterum, quod ubi desinunt, atqne id potissimum in inferioribus costis, ibi nonnullæ ex eorum portionibus muscularibus proximam costam superscandunt, & in sequentis costæ marginem inseruntur. Adeo accuratam horum musculorum anatomicam administrationem solus *Eustachius* assequutus esse videtur: nam in ceteris Anatomicis hujusmodi diligentia omnino desideratur.

Transversus abdominis, 35. 20. & 35. 31.

Quadratus lumborum dexter totus apparet, 36. 22.; sinistri verò majorem partem tegit musculus psoas, 36. 29.

Psoas magnus, 40. 28. Huic musculo alius gracilis, & *longiusculus musculus* supersternitur à suprema lumborum vertebra in os *pubis desinens*, psoas parvus nominatus, 34. 27.

Psoæ magni portio distincta, cum truncato reliquæ portionis tendine, in dextro latere exculpta est 42. 23., quæ varietas in hoc musculo occurrere aliquando solet.

Iliacus internus 41. 22. & 41. 30. trochanteri minori una cum tendine musculi psoæ magni insertus.

Pyriformis, sive iliacus externus, 42. 24., & 42. 32.

Obturatores externi, 45. 24. & 45. 28.

Tricipites femoris, quos in tres musculos, adductores nominatos *Douglassius*, aliique Anatomici distinxerunt. Horum dextro primum caput 47. 28., quod adductor brevis dicitur, ablatum est, ex quo totus musculus obturator, & reliquæ duæ tricipitis, sive adductorum, medii 50. 22. & 50. 27., & postici 60. 20. & 60. 27. dicti, magnæ partes deteguntur.

Peronæi breves, 80. 12. & 80. 29.

Supraspinatus, 15. ½ 30.

Subscapularis, 17. 30.

Teres major, 20. 31.

Brachialis internus 25. 38., in quo apparet bicorne principium ab osse humeri.

Radiæus externus, 29. 43.

Supinator brevis insertus radio, 30. 43. $\frac{1}{2}$ Musculus hic ab utraque facie elegantissime exponitur *Tab.* XXXIX.

Flexor longus pollicis, 33. $\frac{1}{2}$ 47. $\frac{1}{2}$. In dextro brachio musculus hic penitus detectus inspicitur, cui accedit distincta musculi portio 16. 4., quæ in ipso quandoque reperitur. Ejus autem tendo recisus est à pollice, & extrorsum reflexus propendit, 12. 11. $\frac{1}{2}$

Profundus, sive perforans, 34. 45.,

Musculi lumbricales tendinibus musculi profundi affixi sunt.

Pronator quadratus, 9. 11.

Abductor digiti minimi manus, 6. 12. $\frac{1}{2}$

Interossei, 5. 14.

Adductor pollicis, 6. $\frac{1}{2}$ 15.

Flexor brevis pollicis 7. 14., qui cum musculo adductore exhibet commune extremum tendineum in prima pollicis phalange, 7. 16.

TABU-

TABULA XXXIX.

Ostendit parte postica nonnullos musculos capitis, & colli; nec non oculorum.

Rectus major posticus capitis, 12. $\frac{1}{2}$ 30. $\frac{1}{2}$ ab apophysi spinosa epistrophæi in os occipitis.

Rectus minor posticus 12. 30. oritur a parte posteriori vertebræ Atlantis, & desinit prope præcedentem.

Obliquus superior, sive minor 12. 32. oriens ab apophysi transversa vertebræ Atlantis, & supra rectum majorem desinens.

Obliquus inferior, sive major 13. 31. à spina epistrophæi nascitur, & processui transverso vertebræ Atlantis inseritur.

Scaleni pars postica, sive scalenus posticus, oriens a costa secunda, 20. 27.

Scaleni pars media, sive scalenus medius, a prima costa ortum ducens, 18. 27. In latere dextro postica scaleni pars ablata est, unde sex hujus scaleni medii portiones, sive caudæ 18. 32. deteguntur, quæ sex inferiorum colli vertebrarum processibus transversis inseruntur.

Spinalis cervicis 18. 30., cujus in aliquas superiorum colli vertebrarum spinas insertio nitidè exculpta est.

Complexus 17. 29., in quo plagæ tendineæ inspiciuntur.

Trachelomastoidæus, sive complexus minor 16. 28. processui mastoidæo ossis temporis insertus.

Semispinosus, sive multifidus spinæ, vel, juxta *Douglassium*, transversalis colli, dorsi, & lumborum, 40. 29. & 40. 30.

Quadratus lumborum 39. 27., & 39. 32. ab ilei crista ad costam ultimam.

Infraspinatus 23. 34., in cujus medio plaga tendinea apparet, in quam fibræ carneæ congruunt.

Supinatoris brevis utraque facies, 20. 51. & 30. 12.

Interossei sex tantummodo, quemadmodum recentiores Anatomici descripserunt, in sinistra manu observantnr.

Adductor digiti minimi, 39. 20.

FIGURA SECUNDA.

Oculum dextrum in situ naturali exhibet cum palpebris, musculis, nervisque opticis visoriis.

Palpebra superior, ubi cartilago 46. 18., tarsus dicta, cum cilio.

Musculus elevator palpebræ superioris, 51. 17. Hujus musculi aponeurosis 48. 18., quæ ad tarsum pertinet, adnotanda.

Rectus superior attollens, sive superbus, 58. 16.

Rectus exterior abducens, sive indignatorius, 58. 18.

Rectus interior adducens, sive bibitorius, 55. 13.

Obliquus superior, sive trochlearis, 53. 14.

Trochlea, sive cartilago, per quam tendo obliqui superioris inflectitur, 48. 14.

Nervus opticus, 64. 13.

Nervus opticus sinister truncatus, 65. 7.

Nervorum opticorum conjunctio, 67. 9.

Nervorum opticorum e thalamis cerebri procedentium portiones resectæ ante eorum conjunctionem, 69. 7. & 69. 11.

FIGURA TERTIA.

HÆC figura eundem oculum dextrum ostendit, demptis tamen palpebra superio-

periore, cum ejusdem musculo elevatore, ut musculus rectus superior attollens, sive superbus totus inspiceretur, 54. 42.

Musculi obliqui superioris, sive trochlearis inflexio pone finem musculi superbi 50. 41. elegantissime exculpta est. Ceterum iidem musculi, quos in *fig.* 2. adnotavimus, exhibentur; nisi quod nervus opticus prope bulbum resectus est, 62. 38.

FIGURA QUARTA.

HÆC quoque figura eundem proponit oculum, sed absque musculo superbo, ut ratio, qua musculi trochlearis tendo in oculi bulbum inseritur 76. 17., discerni possit.

FIGURA QUINTA.

OCulus item dexter cum nervi optici portione, & suis musculis ex opposita parte inferiori exponitur.

Rectus exterior abducens, sive indignatorius, 82. 38.

Obliquus inferior sive obliquus minor 78. 38., cujus principium tendineum, quod prope canalem nasalem inseritur, truncatum est, 74. 43.

Rectus inferior dopressor, sive humilis, 82. 41.

TABU-

TABULA XL.

Oculorum membranas, vasorum per illas distributiones, humoresque oculi globum constituentes ostendit.

FIGURA PRIMA.

Globus oculi dextri à superiori parte exhibetur. Cornea 8. 11., quæ gradatim extra reliquam oculi sphæram in verticem elevatur, quemadmodum accuratissimè exculpta est.

Adnata, sive albuginea tunica 10. 10. cum limbo resecto à palpebris, quas ipsa in interiori facie vestit, 10 $\frac{1}{2}$ 10. Vasa apparent, quæ in ejus expansione perreptant usque ad finem corneæ.

Sclerotica, 13. 10.

Nervus opticus truncatus, 16. 9. $\frac{1}{2}$ In hac figura, & in sequentibus, usque ad figuram quintam; atque iterum in figura 11. 12., foraminulum 17. 9. $\frac{1}{2}$ adnotandum in centro nervi optici exculptum. *Eustachius* in suo libello *De Ossium examine* his verbis *Fabio Amicio* scripsit; *Foramen nervi visorii, quod, vel multis reclamantibus, sexcenties ante amicorum oculos exposui*. De hoc foramine, quod *Herophilus* invenit, & *Galenus* inculcavit; *Carpus* vero, *Vesalius*, aliique negarunt, vid. *Pemplium, Bidloum,* & *Ruyschium*. Accuratissima etiam nostri auctoris diligentia in delineando nervi optici in bulbum ingressu attendenda: nam non in globi axe eum inseri, sed aliquantulum ad latus interius, ostendit.

FIGURA SECUNDA.

Globus oculi a posteriori parte ostenditur, in quo tunica sclerotica circum nervum opticum resecta est, ac dein cruciformi sectione quadrifariam usque ad globi medium incisa, in quatuor extrorsum reclinatos angulos expanditur; unde ei subjecta nigri coloris tunica, choroides dicta, conspicitur, cujus fibrosa substantia lineis undosis in radios a nervo optico 12. 29. ductis notatur, quæ sanguineis vasis per ipsam distributis luxuriat. Hanc choroidem tunicam per tales undosas lineas ubique exprimit *Eustachius*; hinc aliarum hujus tabulæ figurarum ideam facilius acquirere licet.

FIGURA TERTIA.

Idem oculus ab eadem parte posteriori, cujus non modo sclerotica, ut ante, sed tunica choroides æque cruciata sectione incisa quoque est, & cum sclerotica ad latera ordinatim expansa; unde alia interior tenuissima tunica, ab *Herophilo* aracnoides dicta, in conspectum prodit. Exigua hujus tunicæ vasorum capillamenta sibi mutuo in retis formam sæpe occurrentia elegantissime exculpta cernuntur, ex quo reticularis tunica, sive retina, ab recentioribus Anatomicis nominatur. In ejus medio nervi optici caudex adhuc inhæret, 12. 47.

FIGU-

FIGURA QUARTA.

IDem rurſum oculus ab eadem parte poſteriori, cujus tres tunicæ, ſclerotica nempe, choroides, & retina in quatuor partes inciſæ ſunt, & extrorſum ordinatim reclinatæ; unde integer a parte poſtica apparet humor vitreus, perfecte quaſi globosus, propriiſque terminis coercitus.

Nervus opticus 39. 15. uni angulorum retinæ adhærens.

FIGURA QUINTA.

IDem oculus, & a parte eadem, ſclerotica, choroide, & retina eodem quoque modo inciſis, & reclinatis, ſed in hoc differt à præcedenti figura, quod humor vitreus ablatus eſt; quare cavum aperitur, in cujus fundo, ubi retinæ pars anterior inſpicitur, lens cryſtallina 34. 29. apparet, ſuis ligamenti ciliaris proceſſibus, in radios ipſi affixis, circumdata.

Adnotandum, quod in iſtis oculorum delineationibus lux venit à parte dextra; unde in figuris 1. 2. 3. 4. 8. & 9., quæ ſolidos oculi globos repræſentant, dextrum globulorum latus lumine illuſtratum eſt: in præſenti autem figura, & in 6. 7. 10. 11. & 12., quæ concavas oculi tunicas oſtendunt, dextrum cavi latus umbroſum, lævum luce clarum, cernitur.

FIGURA SEXTA.

OCulus idem, a quo præter humorem vitreum, tunica etiam retina, & lens cryſtallina cum ligamento ciliari ablata ſunt; hinc tota interior choroidis facies conſpicitur, quæ lineis undoſis notata eſt, & vaſis inſtructa, quemadmodum in *fig.* 2. adnotavimus.

Proceſſus, ſeu fibræ, ciliares, 33. $\frac{1}{2}$ 45.

Uvea, 33. $\frac{1}{2}$ 46.

Pupilla 33. $\frac{1}{2}$ 47.

FIGURA SEPTIMA.

OCulus ab eadem parte inciſus, eodemque modo apertus, a quo omnes humores una cum membranis retina, & choroide penitus dempta ſunt; unde ſola tunica ſclerotica exhibetur, in cujus anteriori facie eujſdem pars pellucida 56. 10., cornea dicta, inſpicitur.

FIGURA OCTAVA.

HActenus ſingulas membranas oculi, à nervo optico, ſive poſtica oculi parte ſectionem incipiendo, diſſolvit *Euſtachius*, humoremque vitreum, atque cryſtallinum ab eadem parte poſteriori oſtendit: nunc vero ad alium inverſum ſecandi oculi modum, anticam ſcilicet ejus faciem incidendo, progreditur.

In hac igitur figura, cruciformi ſectione, anterius ſcleroticæ hemiſphærium in quatuor quaſi triangulos expanditur, apicibus donatos acutis, cum in prægreſſis figuris ob rotundam ſectionem circa introitum nervi optici inſtitutam, hi anguli exſurgunt obtuſi.

Cornea itaque, & anteriori ſcleroticæ parte tali modo inciſis, ſuppoſitæ choroidis anterior facies integra conſpicitur, cujus medium pupilla occupat, ubi ejus circulus contractilis 56. 28. adnotandus. Pupillam uvea 56. 27. $\frac{1}{2}$ circumdat. Uvea in hac anteriori parte, ob varios colores, quibus in diverſis hominibus referta eſt, iris vocatur. Iridem ambit albicans zona 56. 26. $\frac{1}{2}$, quæ in anatomicis membranarum oculi ſectionibus ſcleroticæ admodum adhærens reperitur. Hæc zona in hac anteriori facie lævis eſt, & pulita; in adverſa vero, ſive interna facie, proceſſibus ciliaribus ordinatim exculptis ornatur; quos jam in *fig.* 6. conſideravimus, atque iterum in *fig.* 9. & 11., ubi choroides diſciſſa eſt, conſpiciendi.

FIGU-

FIGURA NONA.

IDem oculus, in quo præter ſcleroticam, choroidea quoque eodem modo ſecta eſt, ejuſque diſciſſæ partes ſupra ſcleroticam extrorſum expanſæ: hinc internam choroidis faciem videre licet, ubi in ſingulis ſegmentis uveæ limbus 60. $\frac{1}{2}$ 51., qui pupillæ circumferentiam conſtituit, nec non proceſſus ciliares 60. 50. inſpiciuntur, quibus ſuccedunt choroidis undoſæ lineæ, & vaſa ſanguinea.

Lens cryſtallina in medio conſita apparet 55. 46. cum ligamento ciliari ipſius limbo 55. 45. undique inſerto.

Retina 55. 43., capillamentis ditata ſanguineis, uſque ad lentem cryſtallinam protenſa. In ea proceſſuum ciliarium veſtigia 56. 44. cernuntur. Sub retina, atque lente cryſtallina humor vitreus complectitur; hinc oculus iſte ſuam globoſam figuram retinet.

FIGURA DECIMA.

OCulus ab anteriori parte, ut præcedens, inciſus, eodemque modo apertus, in quo non modo ſclerotica, & choroidea; ſed retina etiam ſecta eſt, & reflexa; quin inſuper lens cryſtallina, humorque vitreus remota ſunt: quare oculus cavus apparet, ubi tota retinæ interna ſuperficies, cum ſuis tenuibus vaſis in fundo oculi à nervo optico propagatis, inſpicitur. Retinæ oppoſitam ſuperficiem exhibet *fig.* 3.

FIGURA UNDECIMA.

IDem oculus, a quo retina ablata eſt, unde tota interna ſuperficies choroidis à parte anteriori, uſque ad fundum oculi patet; quemadmodum à poſteriori parte deducta cernebatur in *fig.* 6. Hic autem (præter ambitum uveæ 74. 24., proceſſus ciliares 74. 25. fibroſam choroidis ſubſtantiam, ejuſque vaſa ſanguinea) id inſuper adnotandum, quod in fundo oculi, ubi medullaris nervi optici ſubſtantia ingreditur, choroides nuda eſt, in ejuſque medio foramen, unde retina ſeſe explicat, oſtenditur, 78. 28. $\frac{1}{2}$ Choroidis exterior ſuperficies à parte poſteriori demonſtratur *Tab.* 2.

FIGURA DUODECIMA.

IDem oculus eodem rurſus modo, ab eademque parte inciſus, & apertus, in quo, remotis choroide, & retina cum omnibus humoribus, nuda, & ſola, ſclerotica proponitur. In ejus fundo orbiculatus ambitus nervi optici delineatur 78. $\frac{1}{2}$ 46., ubi choroides exoritur; atque in centro foramen exculptum eſt 78. $\frac{1}{2}$ 46. $\frac{1}{2}$, unde ſe retina explicat.

TABU-

TABULA XLI.

Videndos exhibet denudatos musculos, potissimum faciei, ossis hyoidis, & linguæ, cum glandulis thyroidæa, & trachealibus.

IN hujus tabulæ figuris, utpote duplo majoribus illis, quæ in magnis musculorum tabulis proponuntur, evidentius faciei, aliarumque partium musculi apparent: quare de his quamvis jam alias egerit Auctor, & potissimum *Tab.* XXVIII., XXXII., XXXIII., & XXXV., eorum tamen explicationem huc rejecimus, ut facilius, & commodius eorum expositio perciperetur.

FIGURA PRIMA.

ATtollens auriculam, 13. 7.
Temporalis, sive crotaphites, 13. 11.
Masseter, 21. 13.
Frontalis, 10. 18., & 10. 23.
Orbicularis palpebræ, 15. 15. & 15. 24.
Elevator labii superioris, sive incisorius, 17. 20.
Elevator lateralis, qui duobus capitibus incipit, 17. 18.
Myrtiformis, 17. 21.
Zigomaticus minor, 17. $\frac{1}{2}$ 17.
Caninus, 18. $\frac{1}{2}$ 18.
Zigomaticus major, 19. 16. & 19. 23. $\frac{1}{2}$ Hunc musculum ex duobus fibrarum fasciculis compositum exhibet *Eustachius*; quemadmodum se observasse narrat *Morgagnus Adversar. Anaton.* 2. *pag.* 29.
Buccinator, 20. 15.
Triangularis, 24. 18. & 24. 22.
Depressor labii inferioris, sive quadratus, 24. 21.
Orbicularis oris, sive constrictor labiorum, 22. 20.

FIGURA TERTIA.

TEmporalis, sive crotaphites, 13. 38.
Masseter, 20. 40.
Buccinator, 21. 44.
Caninus, 19. $\frac{1}{2}$ 46. & 19. $\frac{1}{2}$ 50.
Myrtiformis, 18. 47.
Orbicularis oris, seu constrictor labiorum, 22. 48.

FIGURA QUARTA.

MUsculus temporalis, e quo superficies carnea ablata est, qua semota, intrinsecus latentes tendineæ fibræ apparent, ut adnotavit *Arantius Observat. Anat.* 28.

FIGURA QUINTA.

MYlohyoidæus, 46. 14.
Geniohyoidæus, 46. 16.
Stiloglossus, 45. 19.
Glandula sublingualis, 42. 16.
Ceratoglossus, 46. 17.
Ligamenta à processu stiloidæo ad os hyoides pertinentia, 46. 19.
Stilopharingæus, 45. $\frac{1}{2}$ 11.
Stilohyoidæus, 47. 12.
Os hyoides, 47. $\frac{1}{2}$ 16.
Coracohyoidæus, 56. 10.
Sternohyoidæus, 55. 14.
Sternothyroidæus, 55. 17.

Hyothyroidæus, 50. 17. De his duobus musculis *vid. fig.* 12.

Glandula thyroidæa, 53. 15.

FIGURA SECUNDA, SEXTA, ET SEPTIMA.

MUsculorum ossis hyoidis, & laryngis quorundam animalium ab humana fabrica discrepantias hæ figuræ ostendunt; de quibus zootomiæ curiosus plura apud *Julium Casserium* videre potest.

FIGURA OCTAVA.

PRocessus stiloidæus, 41. 44.

Musculus stilopharingæus, 43. 42. $\frac{1}{2}$

Foramen cranii, ex quo sinus lateralis duræ matris exit in venam jugularem externam 42. 44.

Stiloglossus, 42. 39.

Ligamentum à processu stiloidæo ad os hyoides, 42. 43.

Ceratoglossus, 46. 40.

Basioglossus, 46. 39.

Genioglossus, 46. 38.

Geniohyoidæus, 46. 37.

Os hyoides, 47. 37.

Cartilago thyroidæa, 49. 38.

Cartilago cricoidæa, 51. 39.

Glandula thyroidæa, 54. 40.

Fibrarum fasciculus ab osse hyoide ad glandulam thyroidæam pertinens, 52. 40.

Aspera arteria, 57. 40.

Œsophagus, 58. 41.

Rectus anterior major, 48. 43.

Œsophagæus, sive constrictor pharingis, 48. 41.

FIGURA NONA, ET DECIMA.

OSsicula auditus cum musculo mallei ab utraque parte: de quibus *vid. Eustach. explicat. Tab.* VII.

FIGURA UNDECIMA.

GEniogloffi 75. 8. & 75. 10., in quibus fibrarum suarum radiosa propagatio nitidissime exculpta est.

Stiloglossus 72. 14., cui in hac figura illud ligamentum additum est, quod *Vvinslowvius*, & *Douglassius* ab inferiori angulo maxillæ oriri observarunt.

Hyoglossus, sive chondroglossus 74. 12. sub truncatis ceratoglosso, & basioglosso, conspicitur, a *Valsalva*, & *Verheyeno* descriptus.

Stilohyoidæus, 73. $\frac{1}{2}$ 14.

Stilopharyngæus, 73. 15. $\frac{1}{2}$, cujus expansio in osse hyoide, & cartilagine scutiformi 78. 14. adnotanda.

Thyropharyngæus, 79. 16.

Hyoceratopharyngæus, 75. 14.

Cricothyroidæus, 81. 10. $\frac{1}{2}$, & 81. 13.

FIGURA DUODECIMA.

HÆc figura seorsim clarius refert nonnulla, quæ jam exposita sunt *fig.* 5.

Os hyoides, 61. 26.

Cartilago thyroidæa, sive scutiformis, 63. 27.

Cartilago cricoidæa, 65. 28.

Hyothyroidæus, 62. 29.

Sternothyroidæus, 66. 30.

FIGURA DECIMATERTIA.

PTerygoidæus internus, 68. 38.

Pterygoidæus externus, 69. 48.

Pterygostaphilinus, 70. 40.

Tubæ eustachianæ extremum osseum, 70. $\frac{1}{2}$ 40., & 70. $\frac{1}{2}$ 47.

Longus colli, 78. 42. Hujus musculi compositionem ex superiori 76. 42., inferiorique portione 81. 42. accuratissime descripsit *Vvinslovvius* §. 761. & seq.

Rectus capitis major anticus, 75. 45.

Rectus capitis minor anticus, 73. 42. & 73. 46.

Rectus lateralis, 74. 40. & 74. 47.

FIGU-

FIGURA DECIMAQUARTA,

IN hac figura larynx cum osse hyoide, & pharynge, nec non œsophagi, atque asperæ arteriæ principium a latere sinistro exhibetur; ubi musculus cricopharyngæus, qui in *fig.* 11. à suo situ detractus est, nunc in suo loco, 85. 31. proponitur. Hyopharyngæus, 80. 30. Verum dubitandum maxime est, an hominis, vel alicujus bruti partem hæc repræsentet figura, quum neque sectionibus anatomicis, neque apud exercitatissimos auctores *Valsalvam*, *Douglassium*, atque *Vvinslovvium* hujusmodi structuræ musculus comperiatur.

TABULA XLII.

Laryngis cartilagines, pharyngem, & linguam cum variis musculis repræsentat.

FIGURA PRIMA.

SInistrum laryngis latus cum principio asperæ arteriæ, in quo sinistra cartilaginis thyroideæ pars a proprio situ diducta est, & in anteriorem partem flexa 15. 10 ad ostendendos musculos, quos tegit.

Epiglottis, 8. 20.

Ligamentum 12. 18., quod, una cum alio dextri lateris ligamento, rimam glottidis format, à *Morgagno* primum recte descriptum *Adversar. Anat.* 1. §. 16.

Cartilagines arytænoideæ, 10. 22.

Musculi arytænoidæi cruciati, 12. 22.

Tyro-arytænoidæus, 14. 18.

Crico-arytænoidæus lateralis, 15. 19.

Cartilago cricoidæa, 19. 18.

Crico-arytænoidæus posticus, 17. 22.

FIGURA SECUNDA.

POsticam ejusdem laryngis partem delineat, in qua, præter superiores processus cartilaginis thyroideæ corniculatos, in conspectum venit interna superficies epiglottidis, 6. 44.

Musculi arytænoidæi decussatim positi, sive arytænoidæi obliqui, 12. 43. & 12. 46.

Musculus arytænoidæus transversus substratus cernitur sub arytænoidæis cruciatis.

Cartilaginum arytænoidæarum summitates, 9. 44.

Crico-arytænoidæi postici, 15. 42. & 15. 46.

Cartilago cricoidæa, 15. 44.

FIGURA TERTIA.

OStendit lateralem situm, & connexionem laryngis cum pharynge; nec non musculum hyothyroidæum, & portionem sternothyroidæi, 32. 29. Hæc figura ex *Vesalio* deprompta est, quare *Eustachium* non sine aliqua sua peculiari ratione, quam in suis *controversiis* docuisset, huc eam transtulisse putandum.

FIGURA QUARTA, ET SEXTA.

SUperiorem linguæ faciem; partem mollem palati; nec non posticam pharyngis partem cum suis musculis, demonstrat.

Linguæ dorsum, 35. 16., & 35. 44.

Velum palatinum ab osse palati resectum 38. 16., & 38. 44.

Musculi peristaphylini, quorum tendines circa hamulum processus pterygoidæi flectuntur; unde etiam circumflexi palati dici solent, 39. 12. & 39. 20.

Salpingostaphylini interni in lineam albam desinentes, 39. 16. & 39. 44.

Glossopharyngæi, 43. 14. & 43. 18.

Hyoceratopharyngæus in dextro latere nudus 45. 13., in sinistro 45. 18. à thyropharyngæo maxima parte obtectus.

Tyropharyngæus sinister, 51. 18.

Semotis musculis, qui ab anticis proveniunt partibus, iis substratus pharynx prodit, ex quo in *fig.* 6. faucium hiatus apparet, ubi uvula pendula inspicitur, 41. 44. $\frac{1}{2}$

Pharyn-

Pharyngis fornix cum suis rugis, 42. 44.

Pharyngis membrana nuda, 55. 44.

Stylopharyngæi, 40. 38., & 40. 50.

Palatopharyngæi, sive petropharyngæi, 42. 41. & 42. 47.

Salpingopharyngæus, 40. 41. Tres hi musculi in commune extremum desinunt, 50. 42., & 50. 47.

Cartilago thyroidæa, 52. 40. & 52. 48.

Œsophagus, 57. 44.

Aspera arteria, 58. 44.

FIGURA QUINTA.

Exponit linguam e latere sinistro, cum osse hyoide, & cartilagine epiglottide.

Lingua, 47. 25.

Glandulæ ad linguæ basim 45. 32., quarum ductus excretorios observavit *Vvhartonius*.

Epiglottis, 43. 36.

Ligamentum glossoepiglottidæum *Morgagni*, 45. 34.

Ossis hyoidis cornua, 46. 37.

Ossis hyoidis basis, 46. 34.

Ligamentum hyoepiglottidæum sinistrum 45. $\frac{1}{2}$ 35.

FIGURA SEPTIMA.

Cartilago cricoides ab anteriori facie spectata, in cujus summitate capitula exsurgunt, ubi insident cartilagines arytænoideæ.

FIGURA OCTAVA.

Cartilago cricoides à latere dextro.

FIGURA DECIMA.

Cartilaginis cricoidis postica pars, ubi facieculæ laterales sinuatæ 70. 28., & 70. 33., a quibus musculi cricoarytænoidæi postici oriuntur.

Linea prominens, 69. 30. $\frac{1}{2}$

FIGURA NONA.

Syntaxis cartilaginum laryngis à latere dextro.

Cartilago thyroides, 75. 20. Ejus cornua, sive processus superiores, 70. 10. & 70. 14. Processus inferior dexter 82. 13. cartilaginem cricoidem comprehendens.

Epiglottis, 71. 20.

Cartilago cricoides, 83. 16.

FIGURA UNDECIMA.

Per longitudinem æqualiter larynge dissecta, atque dempta parte sinistra, pars dextra ex interiori facie exhibetur.

Epiglottis, 70. 42.

Cartilaginis thyroidis sectio, 77. 37., ejusque cornu dextrum, 70. 50.

Cartilago arytænoidæa detra, 73. 45.

Cartilaginis cricoidææ portio dextra, sectione anteriori 82. 40., & posteriori 82. 47., divisa.

Membrana, quæ latera glottidis, & laryngis vestit, ubi ventriculus dexter laryngis 77. 41. apparet.

FIGURA DUODECIMA.

Una ex cartilaginibus arytænoidæis, ubi consideranda sunt.

Basis, 77. 40.

Angulus internus basis, 76. $\frac{1}{2}$ 32.

Cavitas articularis basis, 77. 31.

Appendix, sive hujus cartilaginis capitulum, 73. 30.

TABULA XLIII.

Oſtendit anteriorem totius ſceleti faciem cum biſariam ſecto oſſe petroſo.

QUam eximia *Bartholomæi Euſtachii* rerum anatomicarum peritia fuerit; quantaque in his tabulis comparandis diligentia, ſi ubique in ſuis operibus, in hac potiſſimum figura, & in duabus ſequentibus XLIV., & XLV., quibus integra tradit ſceleta, emicat luculentiſſime. Omnia enim corporis humani oſſa, non modo ſecundum eorum veram, naturalemque figuram, & fabricam in his ſceletis exhibentur; verum etiam, quod maximum eſt, ita ſedulo ſingula conjuncta inter ſe ſunt, atque accuratè diſpoſita, ut eodem ipſo ordine, & vero modo, quo ea in viventibus coagmentavit natura, fideliſſimè repræſententur. Præterea ſedulus Auctor ex juniorum hominum corporibus hæc ſua effingere ſceleta opportunius judicavit, ut peculiariter ea quoque intueri in his poſſent, quæ in adultorum oſſibus obliterantur: quemadmodum epiphyſes ſunt, ſive oſſium appendices principibus oſſibus adnexæ; coſtarum ſegmenta cartilaginea; oſſis ſterni in plures partes diviſio, aliaque non parvi momenti, quæ in hujuſmodi ſceletorum figuris nitidiſſimè conſpiciuntur. Verum de his abſolutam tradere interpretationem, & ſingula oſſium nomina recenſere, atque uniuſcujuſque oſſis appendices, apophyſes, condyla, tuberoſitates, epiphyſes, foveas, aliaque quamplurima, quæ in uno quolibet oſſe ab Anatomicis adnotari ſolent, enumerare deſtiti, ne complecti cogerer integram oſteologiam. Id equidem ſupervacaneum futurum fuiſſe judicavi; quum quiſque, vel leviter in anatomicis verſatus, ea omnia in his nitidiſſimis figuris noſcere facile per ſe poſſit: attamen, ne aliqua interpretatione hæ quoque tabulæ carerent, nonnulla adnotare non prætermiſi, quæ præ cæteris animadverſione digna putavi.

Omiſſis igitur calvaria, & maxillis, de quibus in Tab. XLVI., & ſequenti ſingillatim verba facturi ſumus, in hoc antico ſceleti proſpectu mirabiles ſinus, qui in apicibus apophyſium vertebrarum colli obſervantur, adnotandi.

Similiter notetur ſternum ex pluribus conſtans oſſibus, quæ adultiori ætate in unum continuum os convertuntur. Horum primum peculiarem habet figuram, quoniam in id clavicularum capita, atque primæ coſtæ extremum implantantur. Reliqua quatuor oſſa ſternimedium conſtituunt, quod in tenue os cartilaginis mucronatæ, & cartilaginem mucronatam deſinit. Horum oſſium varietates vid. *Tab.* XLVII.

Contextus mirabilis, quem ſibi invicem efficiunt cartilagines ſpuriarum coſtarum, elegantiſſime oſtenditur.

Inter corpora vertebrarum ligamenta cartilaginea animadvertenda.

Connexiones claviculæ cum ſinu ſterni, & proceſſu ſuperiori ſcapulæ, ſive acromio in ſua naturali poſitione, & vero ſitu; nec non articulatio cervicis ſcapulæ cum humeri capite, apprime repræſentantur.

Oſſis cubiti extremum cum radio articulatur; cum oſſibus autem carpi vera articulatione non cohæret. Hujuſmodi conſtructionis uſum indigitare voluit Auctor, dum

dum dextrum brachium extensum in supinum; sinistrum vero, in quo radius cubito decussatim superpositus est, in pronum conversum proposuit.

In osse sacro quatuor foramina utrinque, per quæ nervi à spinali medulla prodeunt, & in magnum nervum ischiadicum convertuntur.

Ossium innominatorum, cartilaginum interventu, conjunctio cum osse sacro.

Ileorum, & pubis vera figura, situs, & conjunctiones.

Ilei tuberculum, 41. 35.

Femorum in coxendicum cavitate positiones.

Cetera denique ossa adeo per se manifesta sunt, atque clare exponuntur, ut quemadmodum superius innuimus, in eorum explicatione, & nomenclaturis non immorandum esse arbitramur.

FIGURA SECUNDA, ET TERTIA.

Segmenta ossis petrosi per longitudinem bifariam divisi proponuntur.

Fig. 2. à parte superiori inferiorem partem foraminum ossis petrosi usque ad processum mastoidæum demonstrat.

Principium processus styloidis, 69. 13.

Processus mastoidæus, 72. 13.

Portio dextra meatus auditorii dissecti, 72. 16.

De figura tertia non incongruum putavimus eam ipsam huc transferre interpretationem, quam de ea præbuit *Morgagnus* in sua *Epistol. Anat.* 12. §. 29., cujus hæc sunt verba „ In ea igitur figura suspicamur ad „ 71. $\frac{1}{2}$ 52. dexteri, & à facie posteriore, „ & inferiore aperti canalis nervorum Au„ ditoriorum Communis finem, & particu„ laris initium ostendi: tum ad 74. 51. „ Particularis sectionem monstrari, fora„ men videlicet prope eum locum, quo „ tympani cum Mastoidea Sinuositate com„ municatio ad 74. 50. exhibeatur: par„ tem autem interiorum cochleæ parietum „ eo cavo indicari, quod inter finem desi„ gnatum canalis communis. Foramen pro „ arteria Carotide 69. 49.; & tympani ca„ vea 72. 49., pingitur ad 71. 50. deni„ que cum cochlea communicantem ve„ stibuli fortasse partem ad 73. 51. cer„ nimus. Quæ &c.

TABU-

TABULA XLIV.

Exhibet posticas sceleti partes cum segmentis ossis petrosi.

IN hac poſteriori ſceleti facie potiſſimum adnotanda vertebræ Atlantis ſtructura, quæ accuratiſſime expreſſa eſt; ejuſque connexiones cum oſſe occipitis, & ſecunda vertebra, epiſtrophæus nuncupata.

Quinque ſuperiorum vertebrarum colli proceſſus bifurcati.

Coſtarum cum vertebris juſtæ articulationes.

Proceſſuum ſpinoſorum vertebrarum dorsi, & lumborum, differentiæ.

Oſſis innominati connexio cum oſſe ſacro.

Oſſis ſacri foramina poſteriora ab utroque latere quatuor; ejuſque canalis hiatus in medio extremitatis,

Coccygis oſſicula quatuor.

Articulatio claviculæ cum ſuperiori proceſſu scapulæ.

Radii, & cubiti brachii ſiniſtri poſitio in motu pronationis manus.

Sinus ſuperiores tibiæ, a quibus inferiora femorum tubera excipiuntur.

Fibulæ adhæſiones, ſuperius cum tibia, inferius cum oſſibus tarſi.

Oſſa tarſum componentia.

FIGURA SECUNDA.

FRuſtum oſſis petroſi ab ea parte exhibitum, qua cerebellum reſpicit, ubi tres canales ſemicirculares, ad auditum organum pertinentes, inſunt.

Canalis semicircularis major, 80. 10.

Canalis semicircularis minor, 82. 12.

Locus, ubi hi duo canales, major, & minor, in commune extremum conveniunt, 81. 11. $\frac{1}{2}$

Canalis ſemicircularis minimus, 82. 9.

FIGURA TERTIA.

OS petroſum dextrum.

Introitus canalis communis duræ, & mollis portionis nervorum acuſticorum, 72. 49.

Sinulus, qui in juniori bus patet uſque ad canalem semicircularem minorem, 75. $\frac{1}{2}$ 49.

Canalis ſemicircularis major, 78. 48.

Canalis ſemicircularis minor, 77. 51.

Extremum commune, 77. 49. $\frac{1}{2}$

TABULA XLV.

Posticam, sed in latus parum deflexam totius sceleti faciem, una cum dissecto osse petroso, videndam præbet.

IN hac ſane figura plurima circa oſſium, tum ſtructuram, tum connexionem, animadverſione digna ſe offerunt: quæ omnia nimis longum eſſet recenſere; præ ceteris tamen columnæ vertebrarum in varias directiones inflexio adnotanda.

Proceſſus bifidi vertebrarum colli.

Coſtarum articulationes cum vertebris thoracis.

In dextra manu cubiti extremum ab oſſibus carpi ſejunctum eſſe oſtenditur.

In dextro crure fibulæ capita, ſuperius cum tibia, cum oſſibus tarſi inferius conjuncta. Hæc, aliaque multa quemadmodum ſunt a natura conſtructa in his ſceletorum figuris apparent; quæ omnia, ita diligenter, & perſpicue delineata, in aliorum Anatomicorum tabulis non facile reperiuntur.

FIGURA SECUNDA.

OS petroſum diſſectum, ut cochlea 70. 44. appareret. Profecto ex his oſſium auditus figuris, atque ex tribus oſſiculis cum parvis muſculis adnexis, quæ *Tab.* VII., & XLI.: exhibuit, clare patet *Euſtachium* omnes internas ad auditum pertinentes partes optime noviſſe. Verumtamen fatendum eſt, quod hanc auditus organi fabricam, ſingularumque partium figuram, & ſitum clarius, atque uberius expoſuerit in ſuis *de Auditu* tabulis anatomicis Clariſſ. *Valſalva*.

TABULA XLVI.

Varias calvariæ, omniumque cranii ossium figuras exhibet.

FIGURA PRIMA.

Quemadmodum in tribus superioribus tabulis, in quibus sceleton repræsentatur, pauca tantummodo adnotare satis duximus; singulorum vero ossium nomina, appendices, ceteraque fere infinita, quæ ad eorum fabricam, & figuram pertinent prætermisimus, ne integram texendo osteologiam nostri propositi limites excederemus: sic in præsenti quoque tabula, ubi omnia, quæ ad calvariam spectant, & variorum eam componentium ossium constructiones ostenduntur, ea tantum attingimus, quæ potissimum aliquam peculiarem animadversionem exigere judicavimus. Mirabilis profecto est ossium fabrica, atque omnino Summi Creatoris sapientia, non minus in his, quam in alia quacumque vel minima humani corporis parte, elucescit; proinde hoc certo asserere non dubitabo, quod nullus optime anatomiam didicisse putet, nisi, ossa considerando, in summam sese rapi admirationem sentiat. Quantum autem difficile est hanc præcipuam anatomiæ partem bene addiscere, tantundem est facile, neque multum laboris expetit, arida ossa sibi comparare: quare ad archetypum potius, quam ad eorundem in his iconibus delineationes hujus rei cupidum revocamus. Quod autem in hac prima figura minus obvium, & adnotatione dignum censemus, est suturæ sagittalis productio usque ad nasi radicem; ceterum naturalem cranii formam cum suis suturis distinctissime delineatis exprimit.

FIGURA SECUNDA.

Simiæ caput, ubi, inter cetera, os jugale magis crassum, & robustum, quam in homine cernitur.

FIGURA TERTIA.

Cranium ostendit, in quo sutura sagittalis penitus deest.

FIGURA QUARTA.

Os frontis ex interiori parte cum vasorum duræ matris vestigiis, atque circumscriptione, qua cum confinibus copulatur ossibus, in cujus medio sinus inspicitur, cui sinus longitudinalis duræ matris inhæret.

FIGURA QUINTA.

Os temporis dextri ex interiore parte.

FIGURA SEXTA.

Idem os temporis ex interiori parte, sed inversum.

FIGURA SEPTIMA.

Os dextrum sincipitis, sive bregmatis, sive verticis, sive parietale nominatum ex parte interiori, ubi vestigia arteriarum,

riarum, quæ exteriorem duræ matris superficiem perreptant.

FIGURA OCTAVA.

IN osse sincipitis, præter suturam lamdoideam, alia insuper exponitur sutura, quæ veluti duplicem lambdoideam format. Distincta hujusmodi ossicula, ob figuram triquetra nominantur: Hæ tamen variæ aliquando figuræ, incertique situs esse solent, ut hujus Tabulæ ostendit *fig.* 3.

FIGURA NONA.

OS occipitis ex interiori parte, cujus margines denticulati cum ossibus verticis connectuntur. In ejus extremo magnum foramen 42. 29. apparet, unde spinalis medulla egreditur, atque utrinque ostia foraminum 42. 27. & 42. 32., ex quibus venæ vertebrales egrediuntur. In medio eminentia, & vestigia delineantur ubi lobi posteriores cerebri, & globi cerebelli insident.

FIGURA DECIMA.

CRanium ostendit, in quo sutura saggittalis ad nasi usque radicem percurrit, sed deficit sutura coronalis; quare ossa sincipitis cum osse frontis unum continuum os constituunt.

FIGURA XI.

OS sphenoides, sive cuneiforme, sive basillare, quod ob multiplices, quas habet figuras, etiam multiforme audit, una cum cribiformi, & vomere a posteriori parte exhibetur.

FIGURA XII.

OS sphenoides a parte superiori una cum cribriforme, crista galli, & sella turcica.

FIGURA XIII.

OS cribriforme cum ossibus spongiosis, sive turbinatis, & vomere.

FIGURA XIV.

OS cribriforme cum crista galli, 62. 29. Os sphenoides, ubi foramina, per quæ penetrant nervi optici, 67. $\frac{1}{2}$ 28., & 67. $\frac{1}{2}$ 31. Sella turcica, 69. 29.

FIGURA XV.

CRanium, in quo deficit sutura lamdoidea.

FIGURA XVI.

OS cribriforme cum crista galli a parte anteriori.

FIGURA XVII.

CRanium, quod duæ tantum suturæ, altera per totam capitis longitudinem protracta, altera secundum aures, ad formam crucis intersecant.

Animadvertendum tamen est, quod *fig.* 10. 15., *&* 17. hujus Tabulæ, in quibus varii suturarum cranii defectus exhibentur, respondent *figuris* 2. 3. & 4. *lib.* 1. *Vesalii de humani corporis fabrica*, quæ *Vesalii* figuræ ab *Eustachio* in suis opusculis *de ossium examine* commentitiæ judicantur.

TABU-

TABULA XLVII.

Pleraque ossa complectitur, quæ sub cranio hominis fabricam compingunt.

FIGURA PRIMA.

OStendit magnum os maxillare dextrum 5. 5. a latere externo inspectum, cum adnato osse palati 6. 3., & incumbente osse unguis, 3. 6.

FIGURA SECUNDA.

OS unguis a reliquis separatum; prout exhibuit etiam *Vidius Vidius Tab.* VI.

FIGURA TERTIA.

VIdenda præbet ossa maxillare 4. 14., & palati 6. 19. ab interna facie conspecta; quæ tamen hic teguntur à septo narium osseo, quod ex vomere 6. 17., atque lamella ethmoidis media 4. 17. cum crista galli 1. 15. continuata, conflatur.

FIGURA QUARTA.

OS nasi.

FIGURA QUINTA.

MAxilla inferior, in cujus interiori facie apparet introitus canalis 5. $\frac{1}{2}$ 28., quem nervus, arteria, & vena subit. In exteriori vero foramen, 10. 31. unde exeunt.

FIGURA SEXTA.

OSsa proponuntur maxillare, & palati in eadem cum *fig.* 3. positione; nisi quod hic ablatum est nasi sepimentum, ut in conspectum veniant latus internum ossis unguis 3. 39. $\frac{1}{2}$, & sinus maxillæ superioris 4. 41., antrum *Higmori* nominati, in nasi cavitatem apertura.

FIGURA SEPTIMA.

EAdem omnia, quæ in superiori, præter quam ossa palati, & spongiosum, ablata sunt, ut ita plenus detur conspectus modo memorati antri, sive sinus maxillaris ex parte ossis palati.

FIGURA OCTAVA.

OS palati dextrum ex interiori parte.

FIGURA NONA.

HÆC binarum superiorum vertebrarum, Atlantis videlicet, & epistrophæi, figura, ligamentis quibusdam articuli capitis demonstrandis potissimum inservit.

Axis vertebræ epistrophæi, sive processus, quem dentiformem nominant, 15. $\frac{1}{2}$ 8.

Ligamenta duo, quibus processus dentiformis occipiti nectitur, 15. $\frac{1}{2}$ 7. & 15. $\frac{1}{2}$ 9.

Tertium ligamentum, quod in medio consistit, 15. 8.

Quartum ligamentum semicirculare, quo vertebra

tebra atlantica processum dentiformem epistrophaei amplectitur, 16. $\frac{1}{2}$ 8.

FIGURA DECIMA.

DEntes superiores dexteri: videlicet quinque molares, unus caninus, & duo incisores cum suis coronis, & radicibus.

FIGURA UNDECIMA.

SPinæ totius syntaxis, in qua septem colli vertebræ nnmerantur, duodecim dorsi, & quinque lumborum, quæ omnes ex apophysium diversitate distinguuntur. Colli enim vertebræ processus habent bifurcatos. Dorsi, apophyses spinosas longissimas, & valde inclinatas. Lumborum vero, apophyses crassissimas, rectas, & reliquis magis dissitas ostendunt.

Os sacrum 75. 28. ex quinque conflatum particulis. Quatuor habet ab utroque latere foramina; ejusque extremitas in acutum desinens coccyx nominatur, 80. 29.

FIGURA XII.

DEntes dextri inferiores.

FIGURA XIII.

CLavicula dextra, quæ altero extremo 10. 43. conjungitur cum processu scapulæ, altero cum sterno.

FIGURA XIV., ET XV.

OS exhibet hyoidem cum ipsius cornubus, & ligamentis, quibus processibus styloideis connectitur. Ea ligamenta sæpe, atque varie, ut in præsentibus videmus figuris, in os abeunt cum hyoidis basi ut plurimum connexa.

FIGURA XVI.

SCapula dextra ex interiore parte.

FIGURA XVII.

EAdem scapula a parte anteriori.

FIGURA XVIII., XIX., XX., ET XXI.

OSsa sterni, eorumque varietates.

De hisce ossium sterni, & cartilaginis mucronatæ figuris fuse loquutus est *Eustachius* in suo elegantissimo libro *de Ossium examine*; ubi docet, quod evenit frequenter, ut hæc ossa, primo, & ultimo excepto, omnia scilicet, quæ in medio sunt, evidentissima linea, secundum eorum longitudinis medium modo recte, ut *fig.* 19. & 21. modo oblique, ut *fig.* 20. protracta, dividantur, quo fit, ut sterni partes aut decem, aut novem, aut octo, aut septem sæpe numerentur. Monet præterea, quod sternum in medio quandoque lato foramine pervium est 38. 5., ut in *fig.* 18.

Cartilaginem mucronatam varias habere in diversis hominibus figuras noster Auctor quoque monet; narrat siquidem, quod interdum in acutum finem desinit, ut *fig.* 19.; vel instar epiglottidis in rotundum, ut *fig.* 20.; sæpe autem caudam hirundinis intus nonnihil flexam refert, ut *fig.* 18., aut aliam figuram repræsentat, ut *fig.* 21. Adnotat insuper incomparabilis Anatomicus *Eustachius*, quod hæc cartilago, sive ista, sive illa forma sit prædita, frequenter perforata reperitur, quemadmodum ostendit *fig.* 18. & 20.

FIGU-

FIGURA XXII., XXIII., XXIV.

VAriarum coſtarum facies inferior exhibetur, ut earum articulationis cum ſpina diverſitas patefiat. *Figura* enim 22. dextram primam coſtam proponit a parte poſteriori : *fig.* 23. unam ex mediis coſtis dextri lateri abruptam : *fig.* autem 24. fractum coſtæ duodecimæ extremum oſtendit.

FIGURA XXV.

MAnus dextræ oſſa ab interna facie.

FIGURA XXVI., XXVII.

DExtrum os humeri, tum ab interiori, tum ab exteriori parte.

FIGURA XXVIII., XXIX.

RAdius dexter ab utraque facie.

FIGURA XXX.

ULna dextra ab ea parte, qua radium ſpectat.

FIGURA XXXI.

EAdem ulna a parte averſa.

FIGURA XXXII.

MAnus dextra ab exteriori parte.

FIGURA XXXIII.

CArpi oſſa naturalis magnitudinis, & interius ſpectata commonſtrantur; ubi apparet, os cuneiforme 86. 6. extremitate ſua ad os lunatum 87. 8. uſque pertingere.

FIGURA XXXIV., XXXV.

SImiæ carpus dexter ab exteriori, & interiori parte.

FIGURA XXXVI.

EEadem carpi oſſa, quæ in *fig.* 33. ab exteriori parte exhibentur.

FIGURA XXXVII.

MAnus dextra ſimiæ ex interiori parte.

FINIS.

INDEX AUCTORUM

Quorum nomina in explicationibus citantur.

INDEX

Rerum, quæ in ſingulis Tabulis continentur.

TAB. IX.

EXhibet univerſum corpus cum artubus, & reſeratis ventribus, ut contenta viſcera in ſitu naturali facile animadverti poſſint.

TAB. X.

DEmonſtrat pleraque viſcera in abdomine contenta, & potiſſimum, quæ ad primam alimentorum coctionem, & fæcum excluſionem conferunt.

TAB. XI.

PRoponit videnda alia etiam abdominis vaſa, & viſcera coctioni, motui, & ſeparationi liquidorum deſtinata.

TAB. XII.

VErſatur in demonſtrandis organis, quæ ſecernendo, colligendo, excludendoque tam lotio, quam ſemini famulantur.

TAB. XIII.

DEtegit renum, uteri, vaginæ, veſicæ urinariæ, & eorum ligamentorum, figuram, & vaſa.

TAB. XIV.

EXhibet uterum, placentam, & fœum, non humanum modo, ſed etiam pecudum, ſuis cum membranis, & cotyledonibus.

TAB. XV.

DIversſos tum laryngis, tracheæ, pulmonum, & diaphragmatis; tum cordis, & magnorum vaſorum aſpectus demonſtrat.

TAB. XVI.

HÆC tabula exhibet tum externos, tum internos cordis aſpectus, una cum appenſis vaſis in ſitu naturali.

TAB. XVII.

DEmonſtrat omnes aſpectus cerebri, tam integri, quam diſſecti, nec non cerebellum cum ſpinali medulla a vertebrarum ſpecu exempta.

TAB. XVIII.

DElineat nervorum omnium originem tam intra, quam extra cranium.

TAB. XIX.

NErvos omnes exponit, qui in viſcera, atque artuum muſculos anteriori facie diſtribuuntur.

TAB. XX.

EXhibet poſteriori facie nervorum diſtributionem in muſculos totius corporis.

TAB. XXI.

VIdendos præbet nervos, qui a muſculis ergeſſi per ſubcutaneas partes ludunt.

TAB. XXII.

SAnguineos ſubcutaneos canales, qui per poſticam corporis partem divagantur, delineat.

TAB. XXIII.

PRoponit nervorum, quos Tab. xx. expoſuerat, propagines, quum e muſculis emergunt, atque per poſticam totius corporis ſuperficiem diſperguntur.

TAB. XXIV.

ARterias, & venas intime diſtributas per poſticas corporis partes oſtendit.

TAB. XXV.

APertis infimo, & medio ventre uſque ad jugulum, nec non detractis communibus ab univerſo corpore tegumentis, muſculiſque nonnullis diductis, proponit obſervanda majora vaſa ſanguinea, quæ ex corde per thoracem, &abdomen, ac ſecundum muſculos, & oſſa undequaque ſuos abeunt in ramos.

TAB. XXVI.

OMnibus thoracis, & abdominis viſceribus penitus detractis, arterias, & venas profundiores patefacit, quæ per medium, & infimum ventrem, nec non per artus anterius ſpectatos feruntur.

TAB. XXVII.

HÆC tabula, quaſi proxime prægreſſarum, corporis humani arterias, venaſque complectentium, appendix, vel ſupplementum, varias diſtributiones, complexioneſque vaſorum ſanguineorum ſeorſim ſpectatas oſtendit, quæ in abdomine, thorace, ac artubus ſuperiorum figurarum ſatis clare exhiberi non poterant.

TAB. XXVIII.

MUsculos fere omnes exhibet, qui anteriori totius corporis facie, detractis communibus integumentis, observari possunt.

TAB. XXIX.

POsticos exhibet totius corporis musculos in dimidia sinistra parte communibus integumentis substratos, in dextra vero, demptis aliquot primis, sequentem syntaxim patefacit.

TAB. XXX.

OStendit anteriorem, & paullo lateralem totius corporis prospectum, detractis solummodo communibus integumentis, ut, qui in superficie apparent musculi facile videri possint.

TAB. XXXI.

PAtefacit exteriores musculos, qui posteriori totius corporis facie detractis tegumentis, statim sese offerunt.

TAB. XXXII.

ANterioris corporis prospectus in sinistro latere musculos post communia velamenta, dempto tamen latissimo colli, atque ligamentis, quibus manus, & pedis tendines retinentur, visendos exponit: in dextro autem latere, ablatis aliquot primis, his subjecti musculi exhibentur.

TAB. XXXIII.

DEtractis aliquot supernis musculis a thorace, abdomine, & artubus, penitiores alios ostendit.

TAB. XXXIV.

POsteriorem sceleti faciem ostendit, cui appositi sunt aliquot musculi a propria membrana denudati

TAB. XXXV.

TAB. XXXV.

ANteriorem ſceleti aſpectum exhibet cum aliquot muſculis propria membrana denudatis.

TAB. XXXVI.

POſticam, & paullo lateralem ſceleti faciem delineat cum aliquot muſculis propria membrana denudatis.

TAB. XXXVII.

SCeleti poſtica parte non ſolum colli muſculos, ſed aliquot etiam alios profunde oſſibus adhærentes proponit.

TAB. XXXVIII.

INtimos colli muſculos, thoracis, abdominis, nec non aliquot artuum, parte anteriori exhibet.

TAB. XXXIX.

OStendit parte poſtica nonnullos muſculos capitis, & colli: nec non oculorum.

TAB. XL.

OCulorum membranas, vaſorum per illas diſtributiones, humoreſque oculi globum conſtituentes patefacit.

TAB. XLI.

VIdendos exhibet denudatos muſculos, potiſſimum faciei, oſſis hyoidis, & linguæ, cum glandulis thiroydæa, & trachealibus.

TAB. XLII.

LAringis cartilagines, pharyngem, & linguam cum variis muſculis repræſentat.

T A B. X L I I I.

OStendit anteriorem totius ſceleti faciem cum biſariam ſecto oſſe petroſo.

T A B. X L I V.

EXhibet poſticas ſceleti partes cum ſegmentis oſſis petroſi.

T A B. X L V.

POſticam, ſed in latus parum deflexa totius ſceleti faciem, una cum diſſecto oſſe petroſo, videndam præbet.


T A B. X L V I.

VArias calvariæ, omniumque cranii oſſium figuras exhibet.


T A B. X L V I I.


PLeraque oſſa complectitur, quæ ſub cranio hominis fabricam compingunt.

F I N I S.




TABVLA PRIMA



TABVLA PRIMA




TABVLA SECVNDA



TABVLA SECVNDA




TABVLA TERTIA



TABVLA TERTIA



TABVLA QVARTA



TABVLA QVARTA



TABVLA QVINTA




TABVLA QVINTA



TABVLA SEXTA.



TABVLA SEXTA




TABVLA SEPTIMA




TABVLA SEPTIMA


I
II
III
IIII
V
VI
TABVLA OCTAVA



I
II
III
IIII
V
VI
TABVLA OCTAVA



TAB. IX.



TAB. IX.




TAB. X.




TAB. X.




TAB. XI.




TAB. XI.



I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
TAB. XII.



TAB. XII.



TAB. XIII.




TAB. XIII.




TAB. XIIII.




TAB. XIIII.




TAB. XV.



TAB. XV.




TAB. XVI.




TAB. XVI.




TAB XVII




TAB XVII




TAB. XVIII.



TAB. XVIII.


TAB. XVIIII.



TAB. XVIIII.


TAB. XX.



TAB. XX.



TAB. XXI



TAB. XXI.



TAB. XXII.



TAB. XXII.






TAB. XXIII.




TAB. XXIV.



TAB. XXIV.




TAB. XXV.




TAB. XXV.



TAB. XXVI.



TAB. XXVI.




TAB. XXVII.



TAB. XXVII.



TAB. XVIII



TAB. XXVIII



TAB. XXIX.



TAB. XXIX.


TAB. XXX.



TAB. XXX.



TAB. XXXI.



TAB. XXXI.



TAB. XXXII.




TAB. XXXII




TAB. XXXIII.




TAB. XXXIII.




TAB. XXXIV.



TAB. XXXIV.




TAB. XXXV.




TAB. XXXV.




TAB. XXXVI.




TAB. XXXVI.




TAB. XXXVII.




TAB. XXXVII.




TAB. XXXVIII.




TAB. XXXVIII.




TAB. XXXIX.




TAB. XXXIX.




TAB. XXXX.



TAB. XXXX.




TAB. XXXXI.




TAB. XXXXI.




TAB. XXXXII.




TAB. XXXXII.




TAB. XXXXIII.



TAB. XXXXIII.



TAB. XXXXIV.



TAB. XXXXIV.


I
II
TAB. XXXXV.




TAB. XXXXV.




TAB. XXXXVI.



TAB. XXXXVI.


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII

TAB. XXXXVII.


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII

TAB. XXXXVII.

avendo confessato nello stesso tempo, che non sarebbe fuori di proposito l'opinione di chi dicesse dover[e] la descrizione di quelle parti che sono contenute nel peritoneo, nella membrana che veste le coste, e nel cranio, dover dico precedere la descrizione delle vene e delle arterie non solo, ma ben anche quella de' nervi.

Med.H
WZ
260
E87t
1793

I canali, che dalle reni conducono l'orina
alla vescica si chiamano ureteri. Il
chiamarle uretre fa confusione. coll' uretra
cioè il canale che porta l'orina fuori della
vescica

Med.H
WZ
260
E87t
1783

Shown in *Dream Anatomies Exhibitions*
At 5-10 footcandles (no UV) for 6 months
Pages XXI + XXV